S. T.

Hn. Kammerjunker, Baron Holsten,
Dannebrogs Ritter

ehrerbietigst
vom
Verfasser.

DE

DAMNO AB ANIMALIBUS DATO,

EX PRÆCEPTIS JURIS ROMANI ET PATRII, TAM ANTIQUI, QUAM HODIERNI.

DISSERTATIO,

QUAM AD SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, INTER PUBLICA GAUDIA PATRIÆ IN FESTO INAUGURATIONIS AUGUSTISSIMORUM PRINCIPUM DANIÆ REGIS ET REGINÆ, CHRISTIANI OCTAVI ET CAROLINÆ AMALIÆ,

RITE CAPESSENDOS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ANDREAS LAURENTIUS CASSE,

TRIBUNALIS SUPERIORIS ASSESSOR ET LICENTIATUS JURIS,

DIE XXVTO JUNII H. L. Q. S.

HAVNIÆ, MDCCCXL.

TYPIS EXCUDEBANT *F. SCHNEIDER & M. C. WERNER.*

Dissertationem hanc inauguralem ordo jurisconsultorum in Universitate Hauniensi dignam censet, quæ pro summis in jure honoribus rite obtinendis publico examini subjiciatur.

J. E. Larsen,
h. a. Decanus Facult. Jurid.

Conspectus argumenti.

Sectio prima.

De præceptis juris Romani.

Sectio secunda.

Præcepta juris patrii antiqui.

Sectio tertia.

Præcepta juris patrii hodierni.

In nulla re ordinanda leges positivæ magis a principiis juris universalis recesserunt, quam in ea, quæ versatur circa damnum ab animalibus datum. Si illud jus respicias, obligatio damni ejusmodi resarciendi non nisi ei injungenda est, cui damnificatio, propterea quod ad eam sive dolose sive culpose concurrit, imputari potest, nec ergo quis eo solo, quod animal, a quo damnum illatum, in dominio suo habuerit, ad resarcitionem præstandam tenetur, eo casu excepto, quo hac re ipsa continetur culpa, cujus rei exemplo est, si quis talia animalia aluerit, a quibus propter feram et immanem eorum naturam damnum facile illatum iri intelligere debuisset; longe aliter vero præcipiunt leges positivæ.

At si ab una parte positiva hæc præcepta talia esse invenimus, quæ nulla deductione juris nitantur, nec metaphysicæ juris congruant, necesse est tamen ab altera parte, si ea perscrutati fuerimus, confiteamur, ea sæpissime ita comparata esse, ut ex conscientia aliqua æquitatis, qualis

in singulo quovis populo viguerit, oriunda commodis commercii civilis satisfaciant. Singularis jam hæc ratio fert, ut disquisitio eorum, quæ jure positivo de damno ab animalibus dato præscripta sunt, satis magnam jucunditatem habeat, quæ quidem eo augetur, quod ista conscientia æquitatis cum ideis magis absconditis arctissime cohæret, quas perspectas habere haud raro interest, cujus rei exemplum gravissimum præbet jus Romanum, cujus præcepta primum disquirenda erunt.

Ad quæ autem omnia antequam transgrediamur recensenda, tractanda, dispicienda, observatum volumus et benevolo lectorum judicio commendatum, quanto opere, dum ad faustissimum, lætissimum festum patriæ inter academiæ subsellia celebrandum nostrum qualecunque munusculum conferre festinamus, tum temporis brevitate coarctati, tum aliis negotiis districti fuerimus atque impediti, quo minus, quale et quantum esse debere hoc munus non ignoraremus, tale potuerimus aut ambitu et doctrinæ copia, aut accurata et limata tractatione præstare.

Sectio prima.

De præceptis juris Romani.

§ 1.

De ea rei spectandæ ratione, qua nititur actio noxalis ob damnum a quadrupedibus datum concessa.

Notissimum est dominum quadrupedis, quæ nocuit, ex jure Romano, ubi damnum ita datum erat, ut conditiones legibus præscriptæ adessent, ad resarcitionem damni illati præstandam teneri, ita tamen ut deditione ipsius animalis hanc obligationem a se avertere possit. Hoc jam ex legibus XII tabularum valuisse testantur Institutiones Justinianeæ, in quibus dicitur*) „Animalium nomine, quæ ratione carent, si qua lascivia aut fervore aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege XII tabularum prodita est“ quæ lex voluit „aut dari, quod nocuit, id est id animal, quod noxiam commisit, aut æstimationem noxæ offerri“**). Si autem quæritur, qua rei spectandæ ratione nitatur hæc sanctio, res non minus dubia est, quam conatus eorum, qui hoc explicare stu-

*) Pr. I. si quadr. (IV, 9).
**) Pr. 1. D. si quadr. (IX, 1).

debant, maximam partem infelices, cujus rei causa in promptu est. Nullum enim adest præceptum immediate nostram materiam attingens, quo duce in ratione illius regulæ investiganda uti licebit, at ad indolem generalem præceptorum, quæ de damni resarcitione in aliis casibus præstanda vigent, recurrendum est, quibus præceptis inprimis ea adnumeranda esse censemus, quæ de damno a servis illato agunt, quippe cum etiam occasione ejus noxalis actio concessa sit. Hoc jamjam agnoverunt, sed in applicatione facienda sæpissime parum prospere versabantur. Luce clarius est, eos erravisse, qui, causam ob quam propter damnum a servis datum actio noxalis inducta sit investigantes, in illo dicto Institutionum substiterint: „Summa autem ratione permissum est noxæ deditionem fungi. Namque erat iniquum, nequitiam eorum ultra ipsorum corpora dominis damnosam esse" *) atque hoc dictum per analogiam actionibus noxalibus occasione damni ab animalibus dati lucem afferre putaverint; perspicuum enim est illa verba Institutionum omnino nihil circa eam rei spectandæ rationem docere, quæ

*) § 2. I. de noxal. act. (IV, 8) cfr. l. 2. pr. D. de noxal. act. (IX, 4) „Si servus sciente domino occidit, in solidum dominum obligat, ipse enim videtur dominus occidisse, si autem insciente, noxalis est: nec enim debuit ex maleficio servi in plus teneri, quam ut noxæ eum dedat" atque l. 2. D. de eo., per quem fact. (II, 10) — „si vero sine voluntate domini servus hoc fecerit: Sabinus noxale judicium dandum ait, nec factum servi domino obesse debere, nisi hactenus, ut ipso careat, quando ipse nihil deliquit."

ferebat, ut ista iniquitas, cujus mentio fit, adesse censeretur.

Nec magis juste rem explicare ii nobis videntur, qui statuunt, leges Romanas in noxalibus illis actionibus constituendis talem rei spectandæ rationem secutas esse, ex qua is qui utilitatem rei cujusdam habeat, incommoda simul ejus sustinere, igiturque damnum ab illa illatum resarcire debeat, nisi jure noxæ dandi uti velit, quod jus rationem existentiæ in eo haberet, quod cuivis rem suam derelinquere liceat si magis ipsi noceat quam prosit*). Hæc enim ratiocinatio ponit, quod prius probandum esset, damnum ejusmodi vere tale incommodum esse, quod cum re conjunctum æstimandum sit, quo accedit, quod ex illa rem sistendi ratione non intelligitur, quare dominus animalis nocentis non nisi circa id damnum teneatur, quod contra naturam animal dederit**), quam restrictionem obligationi domini adjectam esse leges expressis verbis monstrant (vide § 3). Alii fontem ejus præcepti, de quo agimus, in respectu culpæ cujusdam

---

*) v. c. Höpfner Commentar §§ 1163, 1164 et 1169, cfr. Glück Erläuterung der Pandecten, Bd. 10, Abth. 2, § 694 in fine, qui non tamen nisi posteriorem partem ratiocinationis allatæ probat, dicens: Warum aber der Eigenthümer des Thiers sich durch die noxæ deditio von der Verbindlichkeit zur Entschädigung losmachen kann, hat darinn seinen Grund, daß jeder Eigenthümer seine Sache derelinquiren kann, wenn sie ihm mehr Schaden als Nutzen bringt. Man hielt es daher für unbillig, dem Eigenthümer diese Befugniß zu versagen, und ihn zu mehr, als dem Werth des schädlichen Thiers zu verpflichten.

**) Zimmern System der römischen Noxalklagen p. 19.

a parte domini animalis nocentis intervenientis quærunt, quod sæpissime ita faciunt, ut dicant eum, qui animal habeat, quod contra naturam nocere soleat, interficiendi vel custodiendi obligatione teneri, atque, si hoc non fecerit, in dubiis culpose egisse æstimandum esse, quæ ratio in damnum secundum naturam non cadit, quare actio de pauperie eo in casu non conceditur*).

Est vero qui inprimis theoriam, ex qua culpa respicienda est, subtilissime explicavit, Hasse scilicet, qui in theoria sua enucleanda**) ita versatus est, ut non minus æquitatis, quam principiorum juris Romani respectum habuerit. Monet hic expediti juris esse, læsiones, quæ in non faciendo constent, ordinarie non illicitas esse, nec igitur culpam constituere; quod jam inest in natura rei atque relatione civium ad se invicem, neque, ut illud appareat, opus esse nisi ut hoc „omittendo alicui nocere non licet" sub positiva forma, ex qua vis ejus eadem est, exponatur: „cuivis alii, ubi fieri potest, prodesse nos oportet." Ejusmodi — ita porro ratiocinatur — generalis obligatio

---

*) Thibaut, Versuche über einzelne Theile der Theorie des Rechts, Bd. 2, p. 221 seqv. Glück, Bd. 10, Abth. 2, p. 289—290. „Am richtigsten erklärt man den Grund der gesetzlichen Verordnung so — Wer ein Thier besitzt, welches contra naturam zu schaden pflegt, sollte es abschaffen, oder verwahren, weil Niemand bey einem Rencontre auf dergleichen vorbereitet ist. That er es nicht, so ist er in Zweifel in culpa. So kan der rohe Verstand zu den Zeiten der 12 Tafeln sehr gut raisonnirt haben, und hat es auch wirklich gethan, weil das dringende Bedürfniß und das uncultivirte Billigkeitsgefühl schon von selbst darauf führen.

**) Die culpa des römischen Rechts p. 18—19, speciatim Not. b.

alimentationis conservationem sui homini justo magis difficilem, quam jam exstat, redderet, neque quo usque extendi deberet, constitui posset, quare non nisi in casibus exceptis fieri potest, ut quis extra relationem obligatoriam teneatur propter ea non facta, quæ damnum alicui ferant. Tales exceptiones admiserunt Romani, quando securitatis causa (des Stadt- und Ortfriedens willen) omnino necessariæ erant, quibus exceptionibus accensenda est obligatio damni, quod per res nostras datum est, resarciendi. Statuit deinde, Romanos in ea re ordinanda hoc respexisse, quod a quovis usque ad certum gradum postulari possit, ut res suas ita inspiciat, ut ex iis periculum vel damnum aliis non nascatur; num vero hoc debito modo fecerit, in singulis casibus disquiri non potuit, quare magis arbitrario res generaliter dirimeretur, necesse erat, eodem modo, quo circa actionem de effusis et dejectis, quæ contra inhabitatorem datur, tametsi hic non effuderit vel dejecerit. Ex quibus omnibus deducit Hasse, culpam quandam, non aliter quam in quasi delictis, tanquam remotissimum fontem earum actionum, de quibus loquimur, ponendam esse; præceptum vero, vi cujus dominus per deditionem servi vel animalis, a quo nocitum, liberari possit, esse moderationem satis naturalem.

Quo minus tamen theoria ab Hasse exposita comprobetur, prohibent plurima, desumta ex præceptis de damno ab animalibus dato, momenta, quæ, maximam partem ejusmodi ut adversus quamvis theoriam respectui culpæ superstructam dirigantur, in System der Römischen

Noxalklagen pag. 23—35 pertractavit Zimmern, qui speciatim monet, hanc theoriam nec constare posse cum regula: „noxa caput sequitur," quia, si culpa respicienda esset, damnum ab eo præstari deberet, qui dominus esset animalis eo tempore, quo nocuerit; nec cum eo, quod actio, ubi animal ferum, quod damnum dedit, in statum naturalis feritatis reversum sit, cessat, quod ita se habere in sequentibus monstrabitur; quibus observationibus, præter alias gravissimi momenti, eam adjicit, leges Romanas in hac materia omnino non culpæ veræ vel fictæ mentionem facere, regulam vero: „noxa caput sequitur" ut talem spectare, quæ simpliciter ex rei natura fluat, cum quasi delictis autem nihil commune habeat, in quibus ita constituendis, ut quis alterius peccata præstare teneatur, disertis verbis commemorant non solum culpam fictam*), sed etiam rationes ad politiam pertinentes, quæ constitutionem quasi delictorum justificant**).

*) Ita l. 1. §. 4. Dig. de his qui effud. (IX, 3). Hæc in factum actio in eum datur, qui inhabitat, cum quid dejiceretur, vel effunderetur, non in dominum ædium; culpa enim penes eum est. l. 5. §. 5. de oblig. et act. (XLIV, 7). Is quoque, ex cujus coenaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitabat, dejectum effusumve aliquid est, ita ut alicui noceret, quasi ex maleficio teneri videtur, ideo autem non proprie ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius culpam tenetur aut servi aut liberi." — § 3. I. de oblig. quæ ex del. (IV, 5) — „Cum enim neque ex maleficio, neque ex contractu sit adversus eum constituta hic actio, et aliquatenus culpæ reus est, quod opera malorum hominum uteretur: ideo quasi ex maleficio teneri videtur."

**) l. 1. §. 1. Dig. naut. caup. (IV, 9) „Maxima utilitas est hujus

§ 2.

Continuatio.

Quonam modo leges Romanæ ad actionem noxalem occasione damni ab animalibus dati concedendam devenerint, non minus juste quam sagaciter explicavit Zimmern*).

Monet ex jure Romano ab una parte neminem extra relationes obligatorias, nisi de suis ipsius factis teneri, ab altera vero parte antiquitus vigere rei spectandæ rationem, ex qua etiam non liber, quin res inanimata, de læsione facta teneatur; cum vero servo atque rei sibisufficientia desit, non nisi ad dominum, tanquam defensorem ejus naturalem, is, qui damnum passus sit, se convertere potest, quare fit, ut actio adversus eum non propter responsabilitatem ipsius, sed tanquam repræsentantem vel defensorem rei, quæ ipsius est, dirigatur. Si exitus causæ is est, ut damnum resarciendum sit, pertinet proprie obligatio resarcitionis

---

edicti, quia necesse est plerumque eorum fidem sequi et res custodiæ eorum committere. Nec quisquam putet graviter hoc adversus eos constitutum: nam est in ipsorum arbitrio ne quem recipiant: et nisi hoc esset statutum, materia daretur cum furibus adversus eos, quos recipiunt, coeundi, cum ne nunc quidem abstineant hujusmodi fraudibus" — l. 1. §. 1. De his, qui effud: „Summa cum utilitate id prætorem edixisse, nemo est qui neget: publice enim utile est, sine metu et periculo per itinera commeari.

**) In scripto nuper laudato System der römischen Noxalklagen p. 36—42.

præstandæ ad rem ipsam, defectus autem sibisufficientiæ fert, ut ejus loco dominus efficax sit, non tamen ita ut ille damnum resarcire teneatur, sed ita ut res ipsa tanquam talis, quæ solutionem præstare nequeat, creditoris evadat eodem modo, quo ex legibus XII tabularum debitor, qui non solvendo est, dominio creditoris subjicitur; domino autem licet, si rem dedere noluerit, dominium ejus eo sibi conservare quod ei, cui nocitum, id solvit, quod exigendi jure gaudet.

Hisce de principio, quo nituntur præcepta juris Romani circa materiam, quam tractandam nobis sumsimus, allatis, ad hæc ipsa præcepta dispicienda nunc transgrediendum erit.

§ 3.

Actio noxalis de pauperie animal proprio motu et contra naturam nocuisse ponit.

Attulimus jam supra verba Institutionum (Pr. si quadr.) „Animalium nomine, quæ ratione carent, si qua lascivia aut fervore aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege duodecim tabularum prodita est." Damnum, cujus hic mentio fit, usurpatur pauperies, quo verbo indicatur damnum sine injuria facientis datum, nec enim potest animal injuriam fecisse quod sensu caret*), eaque ratione concessa est actio noxalis de pauperie.

---

*) l. 1. §. 3. D. si quadr. (IX, 1.)

Ex verbis legis hæc actio ad omnes quadrupedes pertinet, quæstio vero satis dubia respectu illorum verborum: „hæc actio ad omnes quadrupedes pertinet“ ea est, an actio de pauperie etiam in casu damni ab animalibus feris dati applicari possit. Hujus quæstionis tractandæ ex naturali ordine locus hic quidem esset; ob specialem vero causam disquisitionem ejus differre nobis licebit, ideo scilicet, quod in hac quæstione dirimenda necesse est ad ea recurratur, quæ de conditionibus, sub quibus illa actio in universum institui potest, valent.

Actioni de pauperie locus non est, nisi quadrupes proprio motu atque contra naturam suam damnum intulerit. Necessitas prioris requisiti, quod nempe proprio motu nocuit, simpliciter inest in l. 1. § 6. D. si quadr. ubi, commemorato casu, in quo actio de pauperie non datur ei, cui a cane damnum illatum est, dicitur „sed et si instigatu alterius fera damnum dederit, cessabit hæc actio,“ nec minus in l. 1. §. 8. Dig. h. t. ex qua, si alia quadrupes aliam concitavit, ut damnum daret, ejus, quæ concitavit, nomine agendum erit, quo respectu porro dicitur, tunc hanc actionem locum habere, cum commota feritate nocuerit quadrupes, puta si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos, cornu petere solitus, petierit, aut mulæ, propter nimiam ferociam*).

Quatenus actioni de pauperie non locum esse nisi quando quadrupes contra naturam læserit, monuimus, comprobatur hoc requisitum l. 1. §. 7. Dig. h. t., cujus

---

*) l. 1. §. 4. Dig. h. t. Pr. I. si quadr.

verba hæc sunt: „et generaliter hæc actio locum habet, quotiens contra naturam fera mota pauperiem dedit;" cfr. Pr. I. si quadr.: „Hæc autem actio in iis, quæ contra naturam moventur, locum habet." Quod illa actio non datur, nisi animal contra naturam nocuerit, ei rem spectandi rationi, quam leges Romanas in hac materia ordinanda adoptavisse supra statuimus (§ 2), omnino convenit. Servus nimirum non nisi de talibus factis ipsius tenetur, quæ ejus naturæ sint, ut, si liber fuisset, de iis conveniri potuisset*), quare de læsione casuali non magis quam liber homo tenetur; si autem actio noxalis propter damnum casuale a servo datum admitti nequit, necesse est simile quid in animalibus

---

*) Hoc magis ex systemate actionum noxalium in universum, quam ex disertis verbis legum apparere, monet Zimmern, in System etc. p. 141. — Singularia præcepta positiva cum illo tamen nominare licebit l. 2. §. 1. D. de noxal. act. (IX, 4) atque l. 31. eod., cujus inprimis observanda sunt verba: „Quod ait Prætor, cum familia furtum faciat, ad eum modum se actionem daturum, ut tantum actor consequatur, quantum, si liber fecisset, consequeretur: —" l. 9. D. de jurisd. (II. 1.) „si familia alicujus album carruperit: non similiter hic edicitur, ut in furto, ne in reliquos actio detur, si tantum dominus, cum defendere voluit, unius nomine præstiterit, quantum liber præstaret: —" l. 1. §. 3. D. si famil. furt. (XLVII. 6.) „Cum plures servi ejusdem rei furtum faciunt et unius nomine cum domino lis contestata sit: tamdiu aliorum nomine actio sustineri debebit, quamdiu priore judicio potest actor consequi, quantum consequeretur, si liber id furtum fecisset." Pr. l. 3. eod. „Quotiens tantum præstat dominus, quantum præstaretur, si unus liber fecisset: cessat ceterorum nomine actio. —"

obtineat. In his autem eum locum, quem in servis delicta habent, tenet malitia o: feritas naturæ eorum repugnans, et tanquam id, quod in servis casuale est, æstimandum est in animalibus id, quod impetu naturali agunt*).

Observandum ceterum est, in existentia earum conditionum, quas nuper attulimus, sine quibus actio de pauperie applicari nequit, in singulo quovis casu dijudicanda non in consideratione quadam generali subsistendum esse, rationem autem accurate habendam esse omnium eorum, quæ in concreto ita adsint, ut modificationes afferre queant. Hujus rei testimonium in eo continetur, quod si equus dolore concitatus calce petierit, cessat actio, datur autem, si equus, quem quis permulsit vel palpatus est, hunc calce percusserit**), nec minus tum in eo, quod illa actio cessat, ubi propter loci iniquitatem aut propter culpam mulionis aut si plus justo onerata quadrupes in aliquem onus everterit***), tum in eo, quod actio de pauperie cessabit, si canis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua evaserit et alicui damnum dederit, si contineri firmius ab illo potuerit, vel per eum locum induci non debuit; is vero tenebitur, qui canem tenebat†). Monendum porro est, actionem, de qua loquimur, locum habere, sive corpore suo pauperiem quadrupes dederit, sive per aliam rem,

*) Zimmern in System etc. p. 40—42.

**) l. 1. §. 7. Dig. si quadr.

***) l. 1. §. 4. eod.

†) l. 1. §. 5. D. eod.

quam tetigit quadrupes, ut puta si plaustro bos obtrivit aliquem vel alia re dejecta*).

§ 4.

Cui et adversus quem actio de pauperie datur.

Actio de pauperie domino ejus rei, cui nocitum est, ejusque heredibus et ceteris successoribus competit, atque in universum cuique cujus interest, veluti ei, cui res commodata est**). Datur autem hæc actio adversus eum, qui dominus est animalis, a quo damnum illatum, eo tempore, quo lis contestata est, nulla ratione habita ejus, cujus fuit quadrupes, cum nocuit***), et quidem, si animal in dominio plurium constitutum est, adversus singulos in solidum†). Causa ejus præcepti, vi cujus actio contra eum datur, qui tempore litis contestatæ dominus animalis est, si theoriam in §pho secunda expositam respicias, in oculos incurrit, quippe cum noxa caput nocentis sequatur (l. 18. D. de furtis [XLVII. 2]) atque accidentale quid sit, quis tempore litis contestatæ in dominio animal habeat igiturque partes repræsentantis sustineat††).

Qui dolose ut dominum quadrupedis se gerebat

---

*) l. 1. §. 9. Dig. h. t.

**) l. 1. §. 17. Dig. h. t. Pr. l. 2. Dig. eod.

***) l. 1. §. 12. Dig. h. t.

†) l. 1. §. 14. eod.

††) Zimmern p. 38—39.

(qui liti se obtulit) recte convenitur*), nec minus applicatur regula: qui dolo desiit possidere, pro possessore habendus est, quæ regula ex natura sua inprimis in actiones noxales cadit**), quo respectu monendum est, ei, cui nocitum, concedendam esse facultatem eligendi, utrum priorem quadrupedis dominum, qui tanquam possessor fictus tenetur, an eum, qui tempore litis contestatæ dominus est, convenire velit***). Quæstionem de noxæ deditione non esse, si actio adversus possessorem fictum intendatur, cum vero simpliciter ad damnum restituendum condemnandum esse, ex rei natura sequitur.

Quod si plures quadrupedem in dominio habuerunt, eam vero possidere dolose desierunt, actori eligere licet, quem eorum convenire velit; atque si ex pluribus dominis quidam dolose suas partes possidere desierint, electio est actoris, utrum directe agere velit cum eo, qui possidet, an prætoria cum eo, qui desiit possidere†).

Electio alterum liberat, id enim Prætor introduxit, ne eluderetur actor: non ut etiam lucrum faceret: ideoque exceptione a sequenti submovebitur††). De trans-

---

*) l. 7. D. de interrog. in jure fac. (XI. 1.) Si quis in jure interrogatus, an quadrupes, quæ pauperiem fecit, ejus sit, responderit: tenetur.

**) l. 12. l. 21. pr. l. 22. §. ult. l. 24. l. 26. §. 1. l. 39. pr. D. de noxal. act. (IX. 4.)

***) l. 24. l. 25. l. 26. pr. D. h. t. Glück 10 Bd. 2 Abth. p. 292.

†) l. 26. § 1 et 2. Dig. h. t.

††) l. 26. pr. D. h. t.

itu actionis de pauperie adversus heredes qua tales, sermo esse nequit, quippe cum ii non teneri possint jure successionis, tantummodo vero quatenus tempore litis contestatæ domini sunt quadrupedis, quæ nocuit, nec ergo sub alia specie adversus eos, quam contra alium quemvis, institui possit*).

§ 5.

Quem in finem datur actio de pauperie et quo modo exstinguitur.

Quod eum finem attinet, in quem intenditur actio de pauperie, dubitatum est, utrum alternative instituenda sit, ita ut reus comdemnetur aut ad damnum datum resarciendum aut ad noxæ dationem, an modo ad restitutionem damni assequendam intendi possit, ita ut noxæ deditio, tanquam medium domino quadrupedis concessum, quo ab obligatione damni resarciendi se liberare queat, sub fine actionis hujus non contineatur. Ea rei spectandæ ratio, quam Romanos in noxalibus actionibus formandis secutas esse in § 2 monuimus, ferre videtur, ut prior sententia probanda sit, quippe quum ex theoria in illa § exposita noxæ datio non ut moderatio aliqua in commodum ejus, a quo petitur, inducta, sed ut essentialis pars hujus ipsius relationis spectari debeat; adsunt vero etiam singula præcepta, quæ illam sententiam commendant, ea intelligimus edicta,

---

*) l. 1. § 17. Dig. h. t.

in quibus prætor distinguit, utrum judicium cum noxæ datione an sine hac concedat. Talia nominari possunt l. 1. pr. D. de his, qui eff. (IX. 3.) „— quantum ob eam rem æquum judici videbitur eum, cum quo agetur, condemnari, tanti judicium dabo. Si servus insciente domino fecisse dicetur, in judicio adjiciam, aut noxam dedere. Porro l. 5. §. 6. eod. —“ Qui adversus ea fecerit, in eum solidorum decem in factum judicium dabo: si servus insciente domino fecisse dicetur. aut noxæ dedi jubebo. Deinde l. 21. §. 2. de noxal. act. (IX. 4) „— vel judicium dabo sine noxæ deditione. — Item §. 1. I. de off. jud. (IV. 17). Ideoque si noxali judicio addictus est, observare debet, ut si condemnandus videtur dominus, ita debeat condemnare: Publium Mævium Lucio Titio in decem aureos condemno aut noxam dedere*).

Objectio desumta est ex l. 6. §. 1. D. de re judic: (XLII. 1)**) ubi Ulpianus dicit: Decem aut noxæ dedere condemnatus, judicati in decem tenetur: facultatem enim noxæ dedendæ ex lege accepit. At is, qui stipulatus est decem aut noxæ dedere, non potest decem petere, quia in stipulatione singula per se veniunt, eaque singula separatim stipulari possumus: at judicium solius noxæ deditionis nullum est, sed pecuniariam condemnationem sequitur, et ideo judicati in decem agitur: his enim solis

*) Thibaut System 2 Bd. § 638. cfr. 637 Not. K. Zimmern System p. 156—157.

**) Glück 10 Bd. 2 Abth. p. 293.

condemnatur: noxæ deditio in solutione est, quæ e lege tribuitur."

Tantum vero abest ut hæc lex sententiam, quam probandam censemus, infringat, ut eam quin etiam firmet. Initium enim legis, quæ de ipsa actione noxali omnino non loquitur „Decem aut noxæ dedere condemnatus" satis indicat sententiam a judice latam esse alternativam, eaque, quæ insequuntur, omnino non ad actionem noxalem, sed ad actionem judicati pertinent, eam igitur, quæ ad exsecutionem sententiæ latæ intenditur*). Vis verborum Ulpiani ea esse videtur: Si quis alternative, ad decem præstandos aut ad noxam dandam condemnatus est, actio judicati ita institui potest ut modo ad decem solvendos conveniatur, quia facultate noxæ dedendi a lege concessa eo non privatur; si quis autem decem vel noxæ dationem sibi stipulatus est, non potest actione experiri ut modo decem petat, quoniam ita pluris petitio quædam locum haberet, quippe quum æque cogitari possit singula separatim in stipulationem deducta esse, ac alternative; hoc autem circa actionem, cujus fundamentum est damnum a servo vel quadrupede datum, non valet, ubi enim causa tanquam causa noxalis dijudicata est, institui potest ea actio, quæ ad exsecutionem sententiæ a judice latæ alternativæ spectat, ita ut litis æstimationem solam attingat, quoniam facultas solutionem noxæ deditione præstandi ex lege ipsa competit. At ab altera parte ad solam noxæ da-

*) l. 4. § 5. — l. 7. — l. 15. ult. — l. 27. 29. 41. h. t.

tionem non intendi potest actio judicati, quia noxæ deditio ex defectu habilitatis solvendi, qui in capite nocente inest, fluit atque consectarium est pecuniariæ condemnationis, quare actio judicati aut ad decem obtinendos aut alternative institui potest, non vero ad solam noxæ dationem; litis æstimatio enim objectum sententiæ latæ proprie erat (his solis condemnatur) quacum noxæ datio conjungebatur, ut agnosceretur, solutionem hoc modo secundum leges præstari posse*).

Circa resarcitionem damni præstandam nil observandum erit, nisi hoc, si liberæ personæ nocitum fuerit, quo in casu illa actione agi posse non dubitatur, impensas in curationem factas solvendas esse simul cum æstimatione operarum omissarum, non vero, ex notissima illa regula: liberum corpus æstimationem non recipit, deformitatis rationem habendam esse**). Deditionem animalium, quæ pauperiem fecerint, reo ad liberationem proficere jam leges XII tabularum exhibent***), quo nomine observandum est, deditionem noxæ locum habere non posse nisi animal sit vivum†).

Interdum tamen dominus, amissa facultate noxæ dandi, in solidum conveniri potest, ut puta, si in jure interrogatus, an sua quadrupes esset, responderit, non

*) Ratio allata objectionem ex l. 6. §. 1. de re judic: (XLII 1.) desumtam refutandi occurrit apud Zimmern Syst. p. 160—162.

**) l. 3. Dig. h. t.

***) Pr. I. h. t.

†) l. 1. §. 14. Dig. h. t.

suam esse, nam si constiterit esse ejus, in solidum condemnabitur *).

Exstinguitur, quod simpliciter fluit ex ea rem spectandi ratione, quæ in hac materia invaluit, actio, si ante litem contestatam animal decesserit**), non æque si post litem contestatam, quo respectu adest singulare præceptum circa eum casum, quo ab alio animal occisum fuerit; tum enim, quia domino competit actio ex lege Aquilia, ratio hujus legis in judicio habebitur, cum dominus noxæ dedendæ facultatem amiserit, quare ex judicio proposito litis æstimationem offeret, nisi paratus fuerit actionem mandare adversus eum, qui occidit***).

§ 6.

Actio de pauperie etiam si animal ferum nocuerit locum habet.

Supra jam monuimus, dubitatum esse an actio de pauperie etiam in casu damni ab animalibus feris dati applicari possit, quæ res, si verba legum, quæ latissime patent nec restrictionem quoad animalia fera adjiciunt, respicias, non valde dubia esse videtur. Jam ex eo, quod tituli sæpe citati Institutionum et Digestorum generaliter inscribuntur: „si quadrupes pauperiem fecisse dicatur“ suspicari licet, a numero eorum animalium, quæ nocendo actionem de pauperie afferre queant, non

---

*) l. 1. §. 15. Dig. h. t.

**) l. 1. §. 13. Dig. h. t.

***) l. 1. §. 16. Dig. h. t.

exclusa esse fera, sed hoc verė ita se habere plura præcepta probant. Hoc respectu nominari debet Pr. I. IV. 9, in quo occurrunt ista verba: „Animalium nomine, quæ ratione carent, si qua lascivia aut fervore aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege XII tabularum prodita est;" limitationem enim eam, quæ verbis „si qua lascivia — " continetur, nil aliud spectare, quam quod necesse sit, damnum contra naturam animalis datum fuerit, pro certo quidem et explorato est.

Argumentum porro præbet tum Pr. 1. Dig. si quadr. (IX, 1.) in quo eadem verba, quæ in inscriptione, adhibita sunt; tum l. 1. §. 2. Dig. h. t., ex qua actio ad omnes quadrupedes pertinet; tum l. 2. §. 1. Dig. h. t.; ubi dicitur: „Si quis aliquem evitans, magistratum forte, in tabernam proximam se immisisset ibique a cane feroce læsus esset, non posse agi canis nomine, quidam putant; at, si solutus fuisset, contra" qui locus gravissimi momenti est, quippe quum — eum ceterum casum spectans, in quo nemo tanquam auctor læsionis in solidum tenetur*), — actionem, de qua agimus, quin etiam occasione damni ab cane feroce dati locum habere monstret, igiturque applicationem ejus actionis non ab eo pendere, utrum animal, quod nocuit, sit ferum an non, perspicue indicare videatur, quæ sen-

*) l. 1. §. 5. Dig. h. t. „Sed et si canis cum duceretur ab aliquo, asperitate sua evaserit et alicui damnum dederit, si contineri firmius ab alio poterit vel per eum locum induci non debuit, hæc actio cessabit, et tenebitur qui canem tenebat.

tentia eo etiam comprobatur, quod ex l. 2. §. 2. Dig. ad leg. Aq. (IX. 2.) canis inter pecudes non est**).

Actioni de pauperie locum esse, quando animal ferum damnum intulerit, docet denique § 1. si quadr. (IV, 9). Allato scilicet edicto ædilitio, ex quo prohibetur canem, verrem, aprum, ursum, leonem ibi habere, ubi vulgo iter fit, atque certæ ædilitiæ actiones, si damnum factum fuerit, conceduntur, dicitur: „præter has autem ædilitias actiones et de pauperie locum habebit. Nunquam enim actiones, præsertim poenales, alia aliam consumit.“

§ 7.

Continuatio.

Ad vim eorum argumentorum, quæ exposita sunt, infringendam, tum l. 1. §. 10. Dig. si quadr. allegave-

---

*) Hæc verba ea, quæ ex iis deduci posse opinamur, vere continere, elucet, ut nobis videtur, ex eo modo quo verba quadrupes et pecus tum in l. 2. §. 2. P. Dig. h. t., tum in l. 2. §. 2. eod. usurpantur. In priore loco nimirum dicitur: „Lege Aquilia capite primo cavetur: qui servum servamve, alienum alienamve, quadrupedem vel pecudem, injuria occiderit“ — atque in posteriori „ut igitur apparet, servis (nostris) exæquat (sc. lex Aquilia) quadrupedes, quæ pecudum numero sunt et gregatim habentur, veluti oves, capræ, boves, equi, muli, asini. Sed an sues pecudum appellatione contineantur, quæritur? Et recte Labeoni placet, contineri, sed canis inter pecudes non est.“ Nec est cur ea sententia adoptetur, ex qua verbum quadrupes alio sensu in titulo Dig. si quadr. (IX. 1.) quam in titulo Dig. ad leg. Aq. (IX. 2.) adhibitum esse statuitur.

runt, ubi dicitur: „In bestiis autem propter naturalem feritatem hæc actio locum non habet, et ideo, si ursus fugit et sic nocuit, non potest quondam dominus conveniri, quia desinit dominus esse, ubi fera evasit: et ideo, et si eum occidi, meum corpus est," tum pr. I. si quadr., in quo cavetur: „Hæc autem actio in iis, quæ contra naturam moventur, locum habet. Ceterum si genitalis sit feritas: cessat actio. Denique si ursus fugerit a domino et sic nocuerit: non potest quondam dominus conveniri: quia desinit dominus esse, ubi fera evasit:" quæ præcepta excludere videntur existentiam ejus conditionis, sine qua de instituenda actione de pauperie sermo esse nequit, quod nempe animal contra naturam damnum dederit, quoniam ipsa ferorum animalium natura, illa, cujus leges mentionem faciunt „naturalis feritas" „genitalis feritas" ferre videtur, ut damnum non contra naturam illatum esse perhiberi possit.

Inter eos, qui objectionibus allatis vim aliquam decisivam tribuerunt, non constitit de eo, utrum omnino non ista actio, an cum restrictionibus adhiberi potuerit, quales diversas rei spectandæ rationes attingit Zimmern in System der römischen Noxalklagen p. 100—102, quarum unam afferre licebit, quia exemplum instar omnium præbet ejus interpretandi rationis, qua ad sententiam verbis legum sancitam removendam usi sunt, eam nempe, ex qua res ita expedienda est, ut distinguatur, utrum dominus animalis feri, quod nocuit, læsioni occasionem dederit an non, ita ut in priori casu actione de pauperie peti pos-

sit*), quam ratiocinationem pravam esse jam ex eo sequitur, quod dominus, ubi ita res se habuit, ex lege Aquilia in solidum tenetur**). Eo libentius infelices

---

*) Glück p. 271—272.

**) l. 1. §. 5. Dig. si quadr.: „sed et si canis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua evaserit et alicui damnum dederit, si contineri firmius ab illo poterit vel per eum locum induci non debuit: hæc actio cessabit et tenebitur, qui canem tenebat" cfr. l. 52. §. 2. Dig. ad leg. Aqu. (IX. 2) „In clivo Capitolino duo plostra onusta mulæ ducebant: prioris plostri muliones conversum plostrum sublevabant, quo facilius mulæ ducerent: interim superius plostrum cessim ire cæpit et cum muliones, qui inter dua plostra fuerunt, e medio exissent, posterius plostrum a priore percussum retro redierat et puerum cujusdam obtriverat: dominus pueri consulebat, cum quo (se) agere oporteret: Respondi in causa jus esse positum. Nam si muliones, qui superius plostrum sustinuissent, sua sponte se subduxissent et ideo factum esset, ut mulæ plostrum retinere non possent, atque onere ipso retraherentur: cum domino mularum nullam esse actionem; cum hominibus, qui conversum plostrum sustinuissent, lege Aquilia agi posse: nam nihilominus eum damnum dare, qui, quod sustineret, dimitteret sua voluntate, ut aliquem feriret; veluti, si quis asellum, cum agitasset, non retinuisset; æque si quis ex manu telum aut aliud quid amisisset, damnum injuria daret. Sed si mulæ, quia aliquid reformidassent et muliones timore permoti, ne opprimerentur, plostrum reliquissent, cum hominibus actionem nullam esse, cum domino mularum esse. Quod si neque mulæ neque homines in causa essent, sed mulæ retinere onus nequissent, aut, cum conniterentur, lapsæ concidissent et ideo plostrum cessim redisset atque hi, quod conversum fuisset, onus sustinere nequissent, neque cum domino mularum neque cum hominibus esse actionem. Illud quidem certe, quoquo modo res se haberet, cum domino posterio-

istos conatus præcepta, quæ inter se discrepare primo aspectu videntur, conciliandi missos facimus, quo magis in scripto nuper laudato*) talem theoriam Zimmern constituit, quam unice probandam esse haud facile dubitari possit. Ille rem ita explicat.

Leges actioni de pauperie quadrupedes omnes subjiciunt, simul vero exigunt, ut contra naturam damnum dederint, quare quoad singulam quamvis classem animalium quæritur, quid ab iis contra naturam agi æstimandum sit. In animalibus mansvetis contra naturam est quævis feritas, quæ sine instigatu externo exstitit; cum vero in animalibus feris etiam ea feritas, quæ sine instigatu adest, naturæ ipsorum convenit, contra naturam non quidem datum est damnum, quod in statu libero intulerunt, sed tale habendum est id, quod dum in captivitate detinebantur, exercuerunt, quippe quum factum ex feritate connata oriundum non magis ab iis, quæ ut mansvefacta spectanda sunt, quam ab animalibus mansvetis, exspectandum sit, quod fert, ut feritas ipsorum naturalis non prius æstimari possit, quam ex captivitate evaserint atque naturæ ipsorum congruenter agere possint.

Monet porro Zimmern, ex natura actionis noxalis necesse esse, ut animal ferum tempore litis contestatæ sit in dominio constitutum, nec cessare distinctionem inter „contra naturam“ et „secundum naturam,“ damnum

---

rum mularum agi non posse, quoniam non sua sponte, sed percussæ retro redissent.“

*) pag. 102—105.

enim, quod animal ferum in captivitate detentum ad instigationem inferat, tanquam naturale habendum est; quo respectu docet, l. 1. §. 10. Dig. si quadr. non *absolute* actionem de pauperie in bestiis excludere, sed tantummodo indicare, eam propter *naturalem* feritatem cessare, quocum convenire censet pr. I. si qvadr. In hoc loco enim, mentione facta ejus requisiti, quod continetur in indole facti, ut talis quod *contra naturam* exstitit, statim adjicitur „ceterum si genitalis sit feritas, cessat“ (scilicet actio de pauperie), cujus rei consectarium sistitur in insequentibus „Denique (ɔ: ideo) si ursus fugerit a domino et sic nocuerit, non potest quondam dominus conveniri, quia desiit dominus esse ubi fera evasit,“ quæ positio theoriam expositam firmat, quia ex rei natura jam sequeretur, actionem de pauperie, nisi dominium adsit, locum habere non posse, atque si in bestiis, sive dominium adesset sive non, actio illa exstare non posset, superfluum fuisset, dominum exstitisse, sed exstare desiisse, commemorare.

§ 8.

Observationes circa eum casum, quo animal ita damnum dedit, ut requisita actionis de pauperie exposita non adsint.

Quæritur quid statuendum sit, ubi quadrupes ita damnum dedit, ut non adsint eæ, quas exposuimus, conditiones, sine quibus actio de pauperie non conceditur, speciatim si secundum naturam sui generis damnum in-

tulit, in qua quæstione dirimenda necesse est singuli casus respiciantur.

Si animal non instigatum propter eventum, generi ejus non insolitum, damnum dedit, cujus rei exemplum desumi potest ex equo, qui via declivi lapsus concidens rem aliquam læsit, nulla actio datur, quod ex l. 52. §. 2. Dig. ad leg. Aquil. apparet, in qua dicitur: „Quodsi neque mulæ neque homines in causa essent, sed mulæ retinere onus nequissent, aut, cum coniterentur, lapsæ concidissent, et ideo plaustrum cessim redisset, atque hi, quo conversum fuisset, onus sustinere nequissent: neque cum domino mularum, neque cum hominibus esse actionem" *).

Si ab alio animali incitatum tertium aliquod læsit, datur actio de pauperie non adversus dominum quadrupedis, quæ nocuit, sed contra dominum ejus animalis, quod illam concitavit, quod sancitur in l. 1. §. 8. D. h. t. „Et, si alia quadrupes aliam concitavit ut damnum daret, ejus, quæ concitavit, nomine agendum erit." At si animal quoddam alteri quidem occasionem contra naturam nocendi dedit, non tamen illud concitavit, instituenda est actio adversus dominum ejus animalis, quod nocuit; cujus exemplum suppeditat l. ult. D. si quadr. „Agaso cum in tabernam equum deduceret, mulam equus olfecit, mula calcem rejecit, et crus Agasoni fregit. Consulebatur, possetne cum domino mulæ agi, quod ea pauperiem fecisset? Respondi posse.

---

*) Glück Bd. 10 Abth. 2 p. 282.

Quod si autem alia quadrupes aliam aggressa est atque altera earum mortem obiit, domino ejus, quæ interfecta est, contra dominum ejus animalis, quod occidit, actione de pauperie experiri non licet, nisi animal occisum provocatum fuisset, non vero si hoc ipsum alterum invasisset; quæ regula continetur in l. 1. §. 11. Dig. h. t. „Cum arietes vel boves commisissent, et alter alterum occidit, Quintus Mucius distinxit, ut si quidem is periisset, qui aggressus erat, cessaret actio: si is, qui non provocaverat, competeret actio. Quamobrem eum sibi aut noxam sarcire, aut in noxam dedere oportet.

Ubi probari nequit, quod animal provocaverit, quod vero provocatum sit, actio non datur*).

In disquirenda ea rem spectandi ratione, qua niti censendum est præceptum nuper allatum l. 1. §. 11. Dig. h. t. diversissimas vias ingressi sunt, quippe cum alii crediderint hoc præceptum idea quadam juris defensionis animalibus competentis fundatum esse, ita ut dominus animalis provocantis teneatur, quod animal fines juris naturalis excesserit, dominus vero ejus, quod provocatum est, non teneatur, propterea quod animal ejus jure defensionis usum secundum naturam egerit; alii autem existimaverint, obligationem domino animalis aggredientis injunctam in eo niti, quod ille non sine culpa sit, ubi vitium animalis ipsius cognoscens, quo minus dam-

*) Convenit hoc l. 45. §. 3. D. ad leg. Aqu.: Cum stramenta ardentia transsilirent duo concurrerunt, amboque ceciderunt, et alter flamma consumptus est. Nihil eo nomine potest agi, si non intelligitur, uter ab utro eversus sit.

num inferret non caverit*). Rectius vero statuitur illud præceptum originem duxisse ex ea suppositione Romanorum, vi cujus, ut ex theoria in § 2 explicata elucere opinamur, brutis imputabilitas quodammodo inesse censebatur**).

Monendum porro est, ei etiam consultum esse, cui pauperie ab animali, quod quadrupedum numero non sit, facta damnum datum fuerit, quippe quum ei actio de pauperie utilis concedatur***).

Deinde observanda sunt ea, quæ, si quis culpa damnum ab animali datum provocavit, valent. — Quod si is, cui nocitum est, ipse in culpa erat, de damni resarcitione sermo esse nequit, nam quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire,†) atque tali principio nititur etiam l. 2. §. 1. Dig. si quadr., ex qua, si quis aliquem evitans, magistratum forte, in tabernam proximam se immisisset, ibique a cane feroce læsus esset, non posse agi canis nomine, quidam putant: at, si solutus fuisset, contra. Si tertius quis causam damni illati præbuit, tenetur hic actione legis Aquiliæ aut actione in factum,††) quo respectu tamen monendum est, actionem de pauperie adversus dominum ani-

*) Glück, 10 Bd. 2 Abth. p. 281.

**) Zimmern System p. 84—85.

***) l. 4. D. h. t. Hæc actio utilis competit, etsi non quadrupes, sed aliud animal pauperiem fecit.

†) l. 203. D. de reg. jur. (L. 17).

††) l. 1. §. 4. 5. 6 et 7. Dig. h. t.

malis in subsidium dari, ubi damnum tale sit, ut requisita hujus actionis adsint*).

Ubi denique domino animalis damnum imputandum est, ad hoc restituendum actione legis Aquiliæ convenitur.

§ 9.

Edictum ædilitium, quo animalia quædam, qua vulgo iter fit, habere prohibemur.

Ceterum sciendum est, ædilitio edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, ursum, leonem ibi habere, qua vulgo iter fit, et si adversus ea factum erit, et nocitum libero homini esse dicetur, quod bonum et æquum judici videtur, tanti dominus condemnetur, ceterarum rerum, quanti damnum datum sit, dupli. Præter has autem ædilitias actiones et de pauperie locum habebit**). Ratione hujus præcepti, quod attinet ad animalia, quæ in loco allato haberi non debent, observanda est l. 40. §. 1. Dig. de ædil. ed. (XXI. 1) „Deinde ajunt ædiles, ne quis canem, verrem (vel minorem aprum) lupum, ursum, pantheram, leonem,“ atque, respectu poenæ, si liber homo perierit, l. 42. Dig. eod. „Qua vulgo iter fit, ita habuisse velit, ut cuiquam nocere, damnumve dare possit; si adversus ea factum erit, et homo liber ex ea re perierit, solidi ducenti; si nocitum homini libero esse dicitur, quanti bonum æquum judici videbitur, condem-

*) Thibaut System des Pandecten-Rechts, 2 Bd. §. 638. Glück, 10 Bd. 2 Abth. p. 274.

**) §. 1. I. si quadr. (IV. 9).

netur; ceterarum rerum, quanti damnum datum, factumve sit, dupli."

§ 10.

De remediis juris ratione damni, quod pecus depascendo dedit.

Restat ut singularia ea præcepta dispiciamus, quæ jure Romano de eo damno continentur, quod pecus depascendo dedit. Hoc nomine monendum est ex legibus XII tabularum proditam esse actionem de pastu, si pecus depascendo gramina vel fruges in alieno fundo læserit.

Quod attinet ad naturam hujus actionis statuendum est eam ponere — qua re speciatim quoad conditiones, sub quibus locum habere potuit, ab actione de pauperie differt — pecus non proprio motu fundum alienum ingressum esse, sed in illum immissum esse,*) ita ut actio substantiam suam ex facto ejus, qui animal in fundum immiserit, capiat.

Hoc ita se habere indicare videtur fragmentum illud, quod ad nos devenit legum decemviralium: QUEI. PECU. ENDO. ALIENO. IMPESCIT, quæ verba haud facile aliter explicari queunt quam ita: Qui pecudem in alienam segetem immiserit pascendi gratia;**) inprimis vero, non nisi in casu allato actionem illam locum habere, probat l. 14. §. ult. Dig. præscr. verb. (XIX. 5) ubi Ulpianus

---

*) Thibaut System §. 638. Glück, 10 Bd. 2 Abth. p. 276. Zimmern p. 105—106.

**) Glück, 10 Bd. 2 Abth. p. 276.

dicit „Si glans ex arbore tua in meum fundum cadat, eamque ego immisso pecore depascam, Aristo scribit, non sibi occurrere legitimam actionem, qua experiri possim: nam neque ex lege XII tabularum de pastu pecoris, quia non in tuo pascitur, neque de pauperie, neque damni injuriæ agi posse: in factum itaque erit agendum" apparet enim, causam, ob quam actionem de pastu non in eo casu, cujus mentionem facit, admitti posse censeat, in eo inesse, quod pecudem non in alienum fundum, sed in meum immiserim, quæ ratiocinatio ea interpretatione legum decemviralium nititur, ex qua actio, de qua sermo est, non nisi quando quis pecudem in fundum alterius immiserit institui possit.

Si pecus in alienum fundum non immissum est, sed propter culpam cujusdam devenerit, adversus illum experiri licet actione legis Aquiliæ ex l. 6. Cod. de leg. Aquil. „de his, quæ per injuriam depasta contendis, ex sententia legis Aquiliæ agere minime prohiberis"*). Fuerunt, qui putaverint, eo in casu, quo pecus proprio motu, nullius culpa interveniente, alienum fundum ingressa fruges depasta sit, adversus dominum pecudis institui posse actionem de pastu noxaliter, ita ut juxta actionem de pauperie ejusmodi noxalis actio daretur propter damnum depascendo non contra naturam animalis datum**). Talem vero actionem noxalem omnino non exstare, luculentissime probavit Zimmern in System der Röm. Noxalklagen p. 112—116, hoc inprimis monens, illam omnino

*) Glück 10 Bd. 2 Abth. p. 277.
**) vide Glück p. 282 not. 28.

non cum præceptis Digestorum et Institutionum constare posse, ex quibus de noxali actione occasione damni ab animalibus dati sermo non est nisi quando contra naturam pecudis illatum fuerit.

In casu allato omnino nulla actio concedenda est; leges enim talem expresse non largiuntur, nec analogia adest quæ eam admittendam esse svadeat*).

Quod si quis pecudem in fundum suum immiserit, ut fruges alienas, quæ in eo invenirentur, consumeret, docet, ut supra jam monuimus, l. 14. §. ult. præscr. verb. nec actionem de pastu locum habere nec actionem de pauperie, quam posteriorem non admitti posse ex eo sequitur, quod animal non proprio motu damnum dederit, ab alio vero in fundum immissum, nec actionem damni injuriæ, id est, non ex lege Aquilia, scilicet directe, agi posse; quibus monitis dicitur in factum agendum esse. Hæc actio in factum non intelligi potest nisi actio utilis legis Aquiliæ, quod elucet ex l. 6. C. de lege Aquil. (III. 35), „de his, quæ per injuriam depasta contendis, ex sententia legis Aquiliæ agere minime prohiberis**). Conceditur ceterum in casu commemorato etiam actio ad exhibendum, quod probatur l. 9. §. 1. Dig. ad exhib. (X. 4) „Glans ex arbore tua in fundum meum incidit, eam ego immisso pecore depasco: qua actione possum teneri? Pomponius scribit, competere actionem ad exhibendum, si dolo pecus immisi, ut glandem comederet. Nam et si glans exstaret, nec patieris me tollere,

*) Glück 10 Bd. 2 Abth. p. 283.

**) Zimmern pag. 108—109.

ad exhibendum teneberis, quemadmodum si materiam meam delatam in agrum suum quis auferre non pateretur. Et placet nobis Pomponii sententia, sive glans exstet sive consumta sit.“

§ 11.

Continuatio.

Ex præcepto supra allato l. 6. Cod. de leg. Aquil., quod omnia per injuriam depasta, sive in fundo suo, sive alieno, spectat, nascitur quæstio, an, cum ex lege Aquilia adversus eum utiliter agi potuerit, qui pecudem in fundum alienum immisisset, actio de pastu simul vim suam retinuerit, ad quam quæstionem affirmando respondendum esse opinamur.

Dicitur quidem in l. 1. Pr. D. ad. leg. Aquil. (IX. 2) „Lex Aquilia omnibus legibus, quæ ante se de damno injuria locutæ sunt, derogavit, sive duodecim Tabulis, sive alia quæ fuit: quas (leges) nunc referre non est necesse“ unde primo aspectu concludi posse videretur, actionem de pastu sublatam esse; at si attenditur, actionem directam ex lege Aquilia non locum habuisse, nisi quando corpore corpori damnum datum esset, quale damnum actio de pastu non persequebatur, dubitare non licebit, hanc actionem juxta actionem directam ex lege Aquilia viguisse, quare si abrogata esse censeri deberet, talis abrogatio non nisi per eam extensionem fieri potuisset, ex qua inducta est utilis actio ex lege citata; non vero est cur extensioni illi hanc vim tribuamus, quam ei assignandi ratio speciatim non inest in l. 14

§. ult. præscr. verb. (XIX. 5) quippe quum hæc supra jam laudata singularem causam, ob quam in eo casu, cujus mentionem facit, non locum habeat actio de pastu, eam afferat, quod pecus non in alienum fundum immissa fuerit*).

§. 12.

Speciale aliquod præceptum ratione ejus, qui pecudem in fundum alienum immisit.

Prius quam hanc materiam missam faciamus observandum est, circa specialem casum præceptum exstare, ex quo, qui pecudem suam in fundum alienum immiserit, poena pecuniaria afficiatur, l. 2. C. de pasc. publ. (XI, 60)**). „Insignis auctoritas tua hac conditione a publicis pratis pascuis animalia militum prohiberi præcipiat, ut universi cognoscant de emolumentis eorum tuique officii facultatibus, duodecim libras auri fisci commodis exhibendas, si quisdam posthac memorata prata mutilare tentaverit: non minore decernenda poena, si etiam prata

---

*) Zimmern System der röm. Noxalklagen p. 109—112. Monet verosimile esse vacillationem inter actionem de pastu et actionem legis Aquiliæ occasionem dedisse quæstioni, ad quam per l. 6. C. de lege Aqu. (3. 35) rescriptum est, non prohiberi, quo minus ex sententia legis Aquiliæ agatur de iis, quæ per injuriam depasta sunt; suspicans simul gravitatem hujus rei in eo positam fuisse, quod per actionem de pastu modo ad damni resarcitionem, non ad poenam, ut ex lege Aquilia, experiri licuerit, vel in diversa processuali ratione circa has actiones adhibenda vel in utraque re.

**) Arcadius et Honorius A. A. ad Simplicium magist. mil.

privatorum Antiochenorum fuerunt devastata: ita tamen ut sine læsione provincialium provideant curiales, quo pacto animalium militarium pastui consulatur".

Sectio secunda.

Præcepta juris patrii antiqui.

§ 13.

Transitus ad leges patrias antiquas.

Cum gens rudis et inculta proclivis sit ad ea respicienda, quæ omnino factica in oculos incurrant, ratione neglecta eorum, quæ abscondita magis et altioris indaginis sint, naturaliter fit, ut, ubi damnum illatum esse constet, hoc in quocunque casu resarciendum esse censeat, potius hoc spectans, ne quis jacturam boni alicujus patiatur, quam hoc, num indoles facti, quo damnum datum est, ejusmodi sit, ut imputari queat. Erat revera hæc ratio fons præceptorum juris Romani circa damnum ab animalibus datum, sed eo, quod in systema sibi satis constans redactæ erant speciales exinde oriundæ regulæ, vestigia rudis originariæ formæ fere perierunt; in antiquis patriis legibus autem tali involucro non induta simpliciter prodit, quarum præcepta talia sunt, quæ ad hoc solum nitantur, ut damnum datum insequatur resarcitio sive plena sive aliqualis. Quod

ita se habere ex iis, de quibus nunc disserendum est, legibus apparebit.

§ 14.

Præscripta legis Scaniæ.

De eo casu, quo animal homini nocuit.

Quæ hac lege continentur præcepta de damno, ab animalibus cujusdam illato, spectant tum eum casum, in quo homini, tum eum, quo animali vel rei inanimatæ nocitum est. De primo casu præcipitur in libro V. Cap. 18, 19, 21 et 22. Regulam capitis 18vi, ex qua pro morte per manus hominum non data, sive cornu sive calce sive dente canis sive alio modo illata, tres marcæ præstandæ sunt aut juramentum duodenum,*) excipit præceptum Capitis 19ni, quo primum generaliter dicitur, eum, qui animalia fera vel aves feras aluerit, eas earumque actiones cavere debere, deinde vero præscribitur,

---

*) *Fore allæn handlösan wadæ scal man ællær bötæ thre marc æller sæljæ tyltær ed, badæ fore horn oc fore hof oc fore hunz tan oc allær handlösæn wadæ. oc fore thæskyns wadæ scal ey bötæ Konungsret oc ey Archebiscops utan hinum scal bötæ ær schathæn fick.* cfr. ea quæ affert Andr. Sunonis in opere, in quo commentatur de lege Scanica, Lib. V. Cap. XIV. Pro morte cuiquam illata, vel a bove vel equo vel cane vel quovis alio, quod mansvetam naturam et cum hominibus conversationem habeat animali, tres tantum marcæ denariorum domino præstabuntur. Quicunque vero tale aliquod factum negare voluerit, negationem suam probet manus duodecimæ juramento: Confessus vero, eo nomine regi vel antistiti nil persolvet.

ut, si quem vulneraverint vel occiderint, mulctas, ac si ipse facinus perfecisset, solvere teneatur*).

Caput 21mum porro sancit, ut qui ursum vel lupum vel alia animalia avesve indolis crudelis aluit, si quem occiderint, novem marcas, si vulneraverint, tres marcas solvat; ei vero, qui animalia naturæ mitis aluit, qualia æstimantur cervus vel accipiter, mulctam trium marcarum sive quis ab illis occisus, sive vulneratus fuerit, injungit**).

---

*) *Födær man wild djur ællær wildæ fughlæ, hwærs kyns sum the æræ, warde them oc therræ gjerningæ. æn far man sar af them, bötæ hin ær them a swa saræ bot sum han gjordæ thet sjælwær. Dræpæ the man bötæ oc then ær them a fullæ man bötær, swa sum han hafde sjælwær dræpit man.*

**) *Födær man björn ællær ulf ællær annær djur ællær fughlæ, the ær af grymmæ naturæ æræ, oc dræpæ the man, bötæ han ær them a ny marc. Særæ the man, böte thre marc. Födær man the djur ær af blidæ naturæ æræ, swa sum hjort ællær hök oc dræpæ the man bötæ hin ær them a thre marc. Særæ the man bötæ oc thre marc.* Cfr. Andr. Sunonis Lib. V. Cap. XIII: pro illata morte ab animalibus quadrupedibus vel volatilibus, quæ cum essent indomita et naturaliter vitarent hominum conversationem, assumpta tamen ad domandum, tantum assumens secundum antiquas leges persolvere tenetur, quantum si facinus in persona propria commisisset — — — Secundum novam vero regis Valdemari constitutionem, pro illata morte ab illis animalibus, quæ atrocis sunt naturæ, ut ursus, lupus, aper, aquila et hujusmodi, tantum novem marcæ nummorum ab eorum domino sunt præstandæ, et tres marcæ pro vulnere, si ab eorum aliquo illud constiterit inflictum fuisse. Ceterum pro morte illata, vel inflicto vulnere ab illis, quæ mitiorem habent naturam, ut cervus et accipiter, tantum tres marcas dominus eorum persolvet.

Caput denique 22dum cavet, ut si pecus alicujus, sive equus sive bos sive canis sive alia quævis, liberum hominem vulneraverit, sostrum solvendum sit; si servum, tum sostrum, tum pretium earum operarum, quæ domino perierunt*).

Præcepta exposita satis testantur, hanc legem rationem ejus culpæ, quæ a parte domini animalis nocentis intervenerit, non neglexisse, quod tamen non valet circa eas præstationes, quæ ubi animal, quod juste habetur, hominem occidit vel vulneravit, locum habent; in hisce enim determinandis non quidem respectum culpæ cujusdam, sed hoc solum, ne cui damnum inferretur, vim exseruisse dubitari nequit. Illa vero ratio culpæ a parte domini intervenientis in præceptis de damno ab anima-

*) *Far man sar af annœr fœ, hwat thet œr hœldœr hors œllœr nöt œllœr hund œllœr hwat thet œr, give fore frœlsen man lœgisgift, oc ey merœ — fore annödogh man, bötœ gagswœrckis spjœl og lœkis gift. far man lythe af them, tha bötœs lytœ og gifs lœckis gift. œn ey scal mer givœ œn thre marc at lytis botum, them œr slict fœ göre. wardœ minni lyte, tha bötœs the œftir godœ mannœ asyn.* Cfr. Andr. Sun. Lib. XI. Cap. IV. Nunc videndum quid juris sit, si cuiquam damnum detur a quadrupede mansvetæ naturæ. Et revera sive liber homo sive servus lædatur a quadrupede, bove vel equo vel cane vel apro vel tali quolibet mansvetæ naturæ, pretium pro curatione læsi medico dabit lædentis dominus. Insuperque precium operarum, quæ domino deperibant propter mancipii læsionem. Et si quæ deformitas exorta fuerit vel in ingenuo vel in servo, juxta prudentium virorum æstimationem emendabitur. Ita tamen ut pro damno dato ab hujusmodi animali satisfactio facienda tres marcas nummorum, vel unam marcam argenti, computatis omnibus, non excedat.

libus feris dato se exhibet, quod jam ex illa regula prodit, vi cujus is, qui ejusmodi animalia alit, ea eorumque actiones inspicere tenetur, speciatim autem tum ex ea relatione elucet, in qua quoad quantitatem ipsarum sistuntur eæ præstationes, quæ prout animal, quod nocuit, ferum an mansvetum sit, præscriptæ sunt; tum ex eo, quod, ubi homo ab animali fero occisus est, multo major summa pecuniarum solvenda est, si animal crudelis, quam si mitis naturæ erat.

Præceptum capitis 19ni, ex quo dominus animalis feri, quod aliquem occidit vel vulneravit, tantum solvere tenetur, quantum si ipse facinus perfecisset, cum iis, quæ in capite 21mo præscribuntur, non congruit, ea vero, quæ docet Andr. Sunonis in libr. V. Cap. XIII (vide supra p. 38 not.**) non minus causam hujus antinomiæ indicant, quam quodnam præceptum prævalere debeat.

§ 15.

Præceptum ejusdem legis de damno ab animalibus alicujus alterius animalibus illato.

Ratione damni animalibus ab animalibus illati non continet hæc lex nisi unum præceptum, nempe Cap. 4. Libr. XI; quod eum casum commemorans, quo apes alicujus apes alterius aggressæ eas occiderint, præcipit, ut utrique apum domini, si hoc voluerint, in condominio apum constituantur; quod si hoc noluerint atque is, adversus quem actio instituta est, neget alterius apes ex apibus ipsius damnum cepisse, juramentum præstabit, re-

spectu tanti, quanti apes æstimatæ fuerint. Quodsi damnum ex parte agnoscit, ex parte inficiatur, solvere debet quantum alteri damnum datum esse agnoscat; respectu vero ejus, quod inficiatur, juramentum præstare secundum æstimationem ab illo, cui nocitum est, factam*).

§ 16.

Præcepta ejusdem legis de damno rebus inanimatis ab animalibus dato.

Circa damnum, quod animalia rebus inanimatis inferunt, in hac lege non continentur alia præcepta, quam quæ eum casum concernunt, quo pecudes alienos fundos ingressæ fuerint. Primum afferendum hic est Caput 11mum Libr. VIIIvi, quod sancit, ut possessor equarum, quæ soboli destinatæ sunt, vel equorum ferorum, eos ita

*) *Falla bi ofna annars manz bi, oc brytæ them til dödæ, tha bæri samæn them, the æræ bi æghi um them thykkær rad waræ, oc wilja the swa bade ær bi æge. Wilja the ey samman bæræ, oc dyl hin ær sac ær given, at hins annars bi fingi ey skada af hans bim, sæli hanum swa lag fore, sum wirthningh ær ofna bim hans. Gar han widær summan skadæn hins oc summan dyl han, gjaldæ thet atær han gar widær, oc sæli swa logh fore hint ær han dyl, sum ær æftir hins wirdning ær skadæn fic.* Cfr. Andr. Sun. Lib. XI. Cap. 1. Unius apibus super alterius apes descendentibus, atque eas ad spiritus confringentibus, exalatione inferentes damnum, ad alias apportentur, easque domini simul possideant in communi. At si nequiverint super communi dominio convenire, accusatus supra damno a suis apibus irrogato, si negare voluerit damnum, damni se juramentalibus tueatur convenientibus æstimationi. At confessus restituat quantum voluerit, atque residuum juxta quantitatem ejus neget sufficientibus juramentis.

custodire debeat, ut in agrum vel pratum alterius non ingrediantur, a vigilia pentecostes ad vigiliam Scti. Michaelis; si contrarium factum, eos redimere teneatur. Quodsi alio tempore in agrum cujusdam vel pratum ingressi fuerint, absque læsione eos depellere, non vero comprehendere licet*).

Quod attinet vero ad redemtionem animalium, quæ in fundo alieno comprehensa sunt, continentur præcepta in Libro IXno, cujus Capita 2dum, 3tium, 4tum, 5tum et 6tum dispicienda sunt.

Quatenus caput 2dum ejus mentionem facit, qui ex proposito cum armento boario et cane atque pastore in alienum agrum invadit, ad rem nostram proprie non pertinet, quippe cum in eo casu dominus pecudum hisce ut medio damni inferendi dolose usus sit, at suum tamen confert ad eam rationem æstimandam, ex qua lex non nisi obligationem damni resarciendi domino animalium injungit, ubi dolo a parte istius non interveniente nocue-

---

*) *Stoth horsum allum oc wildum horsum scal hin ær them a wardæ oc gömæ, swa at the cumma ey i akræ oc ey i ængæ andra manna, fran Pingisdaghæ aftne, oc til Michiæls misse aftan. cumma thæs imellin i sæd ællær i ængiæ mannæ, lösæ hin ær them a swa med wædium oc med giald ut sum för ær mælt. Cumme the för ællær sidæn i akræ ællær i ængæ, tha sculu the skadæ löst af æltæ oc ey in takæ.* Cfr. Andr. Sunon. Lib. IX. Cap. XII. Non est totus annus animalum custodiæ deputatus. Verum illud tempus totum et solum quod a Vigilia Pentecostes inchoatur, et in vigilia S. Michaëlis Archangeli terminatur. Unde alio quocunque tempore si reperiantur in agris & pratis, non possunt animalia comprehendi, sed absque aliqua læsione depelli.

runt, poenam autem simul ubi contrario modo res se habuit. Si nempe ex proposito cum armento alienum agrum invasit, ad damnum præstandum atque tres marcas solvendas tenetur, cum ab altera parte præcipiat hoc caput, ut dominus, si armentum boarium vel equitium vel grex suarius agrum vel pratum alienum improviso invaserit, pignus dimiduæ marcæ circa resarcitionem damni dati præstandam sistere debeat*).

In capite 3tio, quod docet armentum boarium constare XII bobus, armentum equitium XII equis, gregem suarium totidem suibus, præcipitur, ut si quis jumentum alienum vel pecudem in agro vel prato comprehenderet, quod si armentum non constituerit, damnum præstandum sit atque juramento affirmandum, pecudem majus damnum non intulisse. — Si dominus agri asserit se prius jam ex illius pecude damnum cepisse, hoc affirmabit juramento trino;

---

*) *Far man med sinum wiljæ mz hjortho suini i annærs manz wangi mz hund oc med hirde, gjælde akær spial oc bōte thre marc, ællær dyli mz tylthær eth. Cumbær hjorth ællær stooth ællær swina wrad mz wada i annars manz akær ællær æng, læggi half marc wæd fore, oc mæte akær spial.* Cfr. Andr. Sun. Lib. IX. Cap. VII. Si quidem æstimationi damni dati tres marcas nummorum adjunget dominus si gregem suum, aut equitium ad minus duodecim capitibus constitutum, in agrum vel pratum cum pastore et cane dirigat alienum, vel consensu suo, damnum datum duodeno inficiabitur juramento.— Si vero casu præter domini voluntatem constet a tot animalibus damnum datum, dato prius pignore, quod dimidiam marcam nummorum valeat, super æstimatione damni dati præstanda, facta a duobus vel tribus et probata trium hominum juramentis, a damnum passo dominus animalia, quæ damnum intulerant, consequetur.

quod si dominus pecoris affert, hoc non in agro vel in prato captum esse, is qui pecudem comprehendit, juramento trino negabit, vel, si illud agnoscat, duas oras solvet *).

4tum deinde Caput continet præcepta de ea agendi ratione, qua uti debet is, qui pecudem comprehendit, quo respectu speciatim cavet, ut si dominus pecudis post trinam denunciationem, primis tribus diebus post deprehensionem factam, redimere noluerit, ei, qui comprehendebat jumentum, hoc ita possidere liceat, ut, si

*) *Tolf hors göræ stod, oc tolf nöt hjorth oc tolf swin wrath. takær man grannæ sins ok ællær twa i akrum ællær i ængum ællær annær fæ, um thet ær æn minre æn hjord, latæ mætæ akirs spjal oc gjalde corngjald mz en ed sinum, at hans fæ gjorde ey mera skadæ at thy in name. Sigær han, at han haver för fangit skadæ aff hans fæ, tha sælj han thridia mans ed fore, sigher hin ær fæ a at thet war takit a flot oc ey i akrum ællær i ængum dyli hin ær thet havir takit mz thridia manz ed, ællær bötæ twa öræ um han gar vidær.* Cfr. Andr. Sunon. Lib. IX. Cap. VII. Si vero numerus animalium minor fuerit, sollus domini, si concivis fuerit, damnum passi, super æstimatione damni sufficiet juramentum. Si vero animalibus damnum inferentibus villæ alterius inhabitator fuerit, duobus sociis indigebit, ut super æstimationis damni quantitate fidem trino faciat juramento. Eodem quoque sociorum et juramentorum numero se defendat, si damnum in præsentiam passus, damnum sæpius ab ejus animalibus conqueratur perpessum. Si vero dominus contendat animalia sua non in agris vel pratis cujuslibet, sed innoxia comprehensa, damnum passus, quod ea juste ceperit, trium hominum probet juramentis, aut animalia cum duarum orarum nummorum redimat emendatione.

deinde in forum judiciale testes adduxerit atque pronunciaverit ea, quæ quoad denunciationem peracta sint, absolvendus sit in judicio, nulla ratione habita eorum, quæ circa jumentum acciderint. Quodsi dominus pecudis eum, qui illam comprehendit, in jure convenit, præstabit tale juramentum, quale exigit æstimatio pecudis facta, juramentum vero si non exhibuerit, pecora illius restituere tenetur.

---

*) *Förstæ dagh man nimbær in manz fæ, tha wisæ han twa mæn til hins ær fæ a, oc bidi han lösæ ut sit fæ. Wil han ey förstæ dagh utlösæ thet, tha wisæ til hins ær fæ in havir takit annær dagh andræ twa mæn, oc bidi han lösæ sit fæ ut, wil han ey æn tha utlösæ fæ sit, tha wisæ han thridie dagh twa mæn, oc bidi han lösa thet ut. will han ey æn thridiæ dagh thet ut lösæ, tha havi han fæ nim i mædæn han wil. sidæn faræ han a thing mz allum sinum witnum, oc liusæ, at han havir swa hans intakit oc swa utbudit, oc at han wildæ fæ sit ey utlösæ. hwat sum sidan wardær af hans fæ, tha dome Thingmæn han sak lösen ær in nam. wil ær fæ attæ göræ thet gilt, tha standæ hin fore mz slikum loghum sum wirthning ær ofna thy fæ at han havir intakit, oc sware thet, at han for swa med sum logh æræ med thy in name. brista hanum logh, tha gjalde han atær hins fæ, oc ængi bötær ofnæ forethy at hans Thing witni lösde han af them lotum.* Cfr. Andr. Sunon. libr. ejusdem Caput XI. Non licet quoque domino, nolle animalia sua redimere comprehensa. Nam eo nolente, comprehendens eum, ut redimat, primo die missis duobus hominibus, deprecetur. Idemque tam secundo die missis aliis duobus hominibus, quam die tertio. Missis quoque tertio novis duobus hominibus operetur, eo perseveranter redimere recusante. Deinde procedens in jus cum suis testibus universis, universum rerum gestarum ordinem coram omnibus protestetur, talemque contra suum adversarium la-

§ 17.

Continuatio.

Præcepta allata applicanda esse, si similis relatio inter privatum et exactorem regis vel archiepiscopi exstiterit, docet Caput quintum, quod porro præscribit, ut quando rex vel archiepiscopus in aula ipsorum versantur, majores mulctæ præstandæ sint, si pecus alienum ex proposito in segetem eorum immissum fuerit. Quodsi autem ex improviso pecus in segetem devenerit, tenetur dominus, quamvis rex vel archiepiscopus in aula habitat, modo ad resarcitionem damni illati præstandam atque juramento trino affirmandum, illud culpa factum esse, quæ omnia ei principio conveniunt, ex quo, ut ratione præcepti Capitis secundi in §pho antecedente monuimus, dominus animalis nocentis, si segeti alicujus nocitum fuerit, modo ad damnum resarciendum tenetur, ubi sine dolo ejus læsio facta est, alias autem poena coercetur. Sancitur porro, ut si exactor regis vel archiepiscopi aliquem de damno manifesto per pecora ipsius illato

---

tam a juridicis reportet sententiam, ut in nullo teneatur ei de cætero de illis animalibus, quicquid de ipsis contigerit, respondere. Si vero super injusta comprehensione vel detentione detentorem dominus instanter accuset, juramentotorum numero convenienti animalium æstimationi detentor probet quod dominus animalia sua juste capta redimere supersederit, post prædictam ternam legitimam admonitionem. Si vero deficiat in probatione, tantum animalia, si possit, vel si non possit, pretium eorum restituat post damni dati præstitam æstimationem, ab omni alia satisfactione propter assertionem suorum testium excusatus.

convenit, tres marcas solvere vel juramento duodeno factum denegare debeat*). Monendum porro est, præcepta allegata ex Capite 10mo Libr. XImi etiam applicanda esse, si porci in alieno nemore deprehendantur

---

*) *Alt hwa sum bondæ gör widær annær bondæ in nam, swa scal han göræ widær Konungs brytiæ oc Ærchibiscops, oc therræ brytæ widær bondan, oc swa hwær therræ sit fæ ut löse af andrum. Sitær Konung i garde sinum sialvar, ællær Ærchibiscop i sinum, tha ær thokkæ therræ mer æn brytjæ sate um fæ wardær mz wiliæ latæt i sæth therræ. Cumbær mz wadæ i sæd therræ, tha ær ey mer æn thridia mans ed ofna corngjald, tho at the æræ sialvæ in garde sinum. Kærær Konungs bryti ællær Ærchibiscops andrum manni ofna hændær, at han havir gjort avat at hannum mz sinum fæ oc stæfnir hanum til Things, ællær til hærræ sunne. bonden bötæ thre marc ællær dyli mz tyltær ed.* Cfr. Andr. Sunon. libr. ejusd. Caput VIII. In jure comprehendendi aliena, et propria redimendi animalia et in quantitate satisfactionis vel æstimationis præstandæ vel sumendæ inter exactorem vel villicum Regis vel Episcopi et quemvis alium nihil differt. At in mansione sua vel Rege vel Episcopo existente, si sibi damnum in suis agris inferatur ab animalibus scientis domini et videntis, æstimationi damni dati propter contemptam præsentis Regis vel præsulis honorificentiam, in tribus marcis nummorum contemptus pretium adjungetur. Si vero casu domino ignorante fuerit damnum datum, nihil præter æstimationem damni dati trino probandam juramento, licet præsens Rex vel episcopus obtinebit. In hoc autem solo exactor vel villicus Regis vel Antistitis differt ab aliis. quod si taliter sibi damni dati ad multorum audientiam in Jus deferat accusationem, aut trium marcarum satisfactionem ab adversario præter æstimationem, si confessus fuerit, aut duodenum juramentum, si negaverit, consequetur.

vel si quis cum armento suario in nemus alienum invaserit*)

Ex capite denique 6to is, qui animalia sua palis alligata in pratum vel agrum alienum pascendi causa immittit, damnum et duas oras solvet, vel juramento trino negabit**), quod quidem præceptum, ei principio, quod supra commemoravimus, convenienter, non nisi de eo casu intelligendum esse videtur, quo quis dolose pecudes suas in alienum fundum immiserit, at analogice tamen in eum, qui culpose hoc fecit, ita applicandum, ut non poena, sed sola damni resarcitio præstanda sit.

§ 18.

Præcepta legis Erici Sjællandicæ.

De eo casu, quo animal homini vel animali nocuit.

---

*) *Ligiæ twe hæghnadæ scoghæ sammæn, oc sæms them ey ær scoghæ æghe, at swin gængæ sammæn, og wardæ swin sidæn intakin, tha ær thæt sammæ logh um thet samme innum ær för war saght um innam. far man med swina wrath i annars mans i hæghnadæ scoghe, tha ær thet sammæ logh sum för ær mæltum han fore in annars mans akær oc i sæd hans.* Cfr. Andr. Sunon. Lib. XI. Cap. 5.: Alieni porci invito domino de nemore non pascantur alieno: Persvadet æquitas naturalis nullius inviti bona deservire alienis usibus. Unde nec alieni porci admitti debent ad pastum nemoris alieni, circa nemus alienum vel agrum alienum. Ob eandem causam etiam juris eadem permanet censura, quantum ad comprehensionem et redemptionem, quantum ad numerum animalium et porcorum, quantum ad scientiam et ignorantiam dominorum.

**) *Tuithrar man i æng ællær akre annars manz, böte spial oc twa öre, ællær dyli mz thridiæ manz eth.*

Generale præceptum circa eum casum, quo animal hominem occidit, suppeditare censendum est Caput 65tum libri 2di, quatenus sancit, ut dominus equi vel bovis vel canis, qui aliquem interfecerit, tres marcas solvere vel juramento duodeno negare debeat*); præter hanc adest vero specialis sanctio ratione ejus, cujus equus, dum eo vehitur, aliquem calce petit. Eo respectu enim, prius exposita regula de eo, qui ita alicui occursat, ut hic occidatur vel humi sternatur, cavetur ut, si equus eum, quem jam prætervectus sit, calce petierit, tanquam de casu, per manus hominum non illato, teneatur**), nisi equum talem esse, qui calce petere soleat, sciverit; tum enim, ubi quis interfectus est, si contendit equum ipso nescio et nolente nocuisse atque hoc juramento ter duodeno affirmat, tres marcas præstabit; quodsi vero is, qui percussus est, mortem non obiit et dicit illud volente domino equi factum esse, ille aut tres marcas solvere aut duodeno juramento negare debet***). Quæ ita

---

*) *Œn kombær thæt swa, at hæst slar man til döthæ. ællær oxæ ællær nöt stanggær man til döthæ. ællær hund bithær til döthe. tha a han at bötæ thær thre mark foræ ællær dyliæ mæth tyltær eth.*

**) *Œn slar hæst sithæn han kumbær um. ok slar nokær man: tha böthæ han thær foræ sum foræ annær handælös wathæ.*

***) *Œn rithær han then hæst thær wan ær at sla a bak. ok han wet thæt — Æn dyl han thæt, at thæt war ey mæth hans wit. ok ey mæth hans wiliæ. tha dyliæ mæth thre tyltær. ok bötæ thet hwaræn thre mark foræ hæstæn. Æn fick han af hæstæn hog. ok war ey döth af. sighær han at thæt war mæth hans wiliæ. tha bötæ entingh thre mark ællær dyljæ mæth tyltær eth.*

specialiter præscripta sunt, præcepto generali non quidem congruunt, quippe quum non adsit, cur propterea quod equum talem esse nescierit, qui calce petere soleat, ea præstare non teneatur, quæ ex hoc præcepto, ubi equus hominem occidit, præstanda sunt, sive equus vitio ejusmodi laboraverit sive non, nulla porro ratione habita utrum dominus hoc sciverit an non. At anomalia hæc eo nomine satis memorabilis est, quod docet sensum aliquem iniquitatis, quæ in eo principio insit, vi cujus omne damnum ab animalibus illatum resarciendum erat, effecisse, ut hæc lex, non minus quam lex Scanica (vid. § 14) in singulis casibus ita ab illo rigore recesserit, ut, utrum culpa aliqua a parte domini intervenerit an non, respexerit.

Quæ hoc capite de homine ab animali occiso vel vulnerato ceterum continentur præscripta, nostram materiam non attingunt, quippe quum ponant, dominum animalis hoc ut medio læsionem inferendi usum esse.

Quod attinet ad damnum animalibus ab animalibus datum, sancitur in hoc capite ut si equus equum vel bos bovem occiderit, atque is, qui interfectus est, pretii duarum orarum argenti esset vel majoris, dominus ejus, qui occidit, sex oras solvat, non vero majorem summam, tametsi pecus occisum pluris fuerit.

Si inficiatur, inficiationem juramento confirmabit et quidem ita ut, si pecus pretium duarum orarum haberet, ipse sextus; si tanti pretii non esset, at tamen duarum ortugarum vel majoris, ipse tertius juramentum præstet*).

*) *Æn slar hæst annær til döthæ. ællær nöt stanggær annær*

Si canis rabie tentatus hominem vel pecudem morsu petiit, tenetur dominus ejus eodem modo, quo ex capite 65to *), quod præcipiens caput 66tum mōdificationem adjicit, ideo satis insignem, quod testari videtur, in responsabilitate domini animalis nocentis constituenda etiam in hoc casu rationem habitam esse culpæ cujusdam a parte ejus.

Cavetur scilicet, ut dominus canis hujusmodi, si canem ejus interficiendi causa insequatur vicinosque, duos minimum vel plures, canem rabie abripi doceat atque, ut eum occidant, roget, de eo damno non teneatur, quod a cane posthac inferatur.

De homine occiso conventus juramento duodeno se canem eo modo, quo fieri debuerit, insecutum esse affirmabit; de pecore interfecto autem si adversus eum agitur, eo pauciores consacramentales sistet, quo minores sunt mulctæ præscriptæ **).

---

til hælfæ. oc ær thæt ænthingh um got sum twa öræ silfs ællær bætræ. tha bötæ han thær foræ siæx öræ. hwaræygot sum thæt worthær tha bōtær han tho ey mer. Æn dyl han tha dyljæ mæth tyltær eth foræ manz dōth. ok for fæs dōth. um thæt ær swa got sum twa öræ silfs mæth sjættæ manz eth. Æn ær thæt ey swa got sum twa öræ silfs. ok ær thet swa got sum örtughs silfs ællær bætræ. tha dyljæ mæth thrithiæ manz eth.

*) *Kombær thæt swa at manz hund worthær galæn. ok bitær han ænthing folk ællær fæ. tha skal han swa bötæ sum fōr ær saght.*

**) *Æn worthær han war with thær hundæn a — ok fylghær hanum ok wil hanum dræpæ. ok warær sinæ grannæ at. twa at minztæ ællær fleræ. ok bithær dræpæ hanum ok*

4*

§ 19.

De damno rebus inanimatis dato.

Præcepta de damno, quod ab animalibus rebus inanimatis infertur, non concernunt nisi id quod alterius agro vel segeti datur. Hanc rem attingit Caput 58vum quatenus, prohibens quo minus is, qui pecora per campum consitum agit, in eo pascendi causa commoretur, cavet ut si pecora, dum per campum agerentur, damnum dederunt, dominus eorum hoc restituere debeat, a mulctis vero præstandis immunis sit*).

Plures casus, in quibus damnum ab animalibus simili modo datum resarciendum est, non autem mulctæ ea occasione solvendæ, commemorat Caput 72dum. Præceptum nempe, ex quo is, qui sine consensu vicinorum equum suum in campum consitum detulit atque in suo palis alligavit, si equus ex palis se expedit et in alterius agrum devenit, damnum resarcire duasque oras, quia equum in campum induxit, præstare tenetur **),

---

waræ them at; at han ær galen. tha a han ey at bötæ foræ hwat sum han gör sithæn. Æn sætter nokær man hanum immetæn ot han beet nokær man til hæljæ sithæn. tha sæljæ han thær ofnæ tyltær eth. at han fyldæ hanum sum lagh war ok waræthæ at. ok ær æy skyldigh at bötæ foræ. Æn worthær han saktæt um fæ, tha sæl han swa myklæ minnæ logh foræ, sum thæn hörær minnæ bötær til.

*) *Æn thæt han wrakær sit fæ gömæn wang. tha ma han ey betæ i wang. Æn gör hans fæ nokær skathæ thær han wrakær thæt gömæn wang. tha a han skathæn aftær at gjalde. ok ey at bötæ foræ.*

**) *Æn förær nokær thæn i wang thær ey faar grannæ wiljæ*

excipit sanctio, vi cujus, ubi cum consensu omnium vicinorum equi in campum consitum admissi sunt, domini eorum, si damnum factum est, non ad mulctas præstandas, sed modo ad resarcitionem solvendam obligantur*). Caput 74tum præcepta continet, quæ ad cavendum spectant, ne, eo quod præmature pecora in campum consitum immittantur, noceatur segeti, inter quæ speciatim hoc, ex quo ei, qui priusquam alii messem absolvit, non licet pecus suum in campum, ne quidem in eam partem, quæ ipsius est, inferre**), cum e contrario præscribitur, ut si quis eum in finem, ut aliis noceat vel pecora eorum comprehendat, segetem suam non demetat, nec intra tempus in jure constitutum messem absolvat, sepibus segetem defendere ipsius sit nec ei liceat pecora aliorum comprehendere***).

---

til ok tythrær han a sit eghæt ok worthær han lövs. ok kombær han i nokær manz akær. tha gjaldæ han athær skathæn. ok bötæ twa öræ foræ at han förthe i wang.

*) *Fa ok fleræ hæstæ lof af allæ grannæ. tha thæ af allæ fa lof. them bötær man ikke foræ. ok thæt hwaræn gjældæ skathæn atær thær the görthæ. Wili allæ hwær havæ sin hæst. ok worthæ the allæ um satæ. athæ the mæth allæ grannæ lof komme i. them bötæ man ey foræ. ok thot hwaræn gjaldæ skathæn atær.*

**) *Thæt skal man ok witæ, at um nokær man fangghær för byrghæt æn annær. tha skal han ey thær foræ sit fæ i i wang wrakæ. æn thæt han havær thot a sit eghæt.*

***) *Æn ær nokær thæn fool i by, at han latær forthy sit korn utæ standæ, at han wil göræ andræ thær wandæ mæth. ællær thæræ fæ innimmæ. tha skulæ grannæ kallæ hanum til things. og thingmæn skulæ læggæ en dagh for hanum. hwat dagh han skal byrghæt havæ. ok far han then dagh*

Præcipiens porro, ut si unus vicus prius messem absolverit quam alter, ille pecus suum a campo demesso detinere debeat, usque dum hujus messis confecta sit*), sancit ut, si pecora in campum consitum immissa fuerint, dominus eorum damnum resarcire teneatur, atque pro pecude quavis magna, ubi duodecim pecudes non sint, binas oras solvere, at, si duodecim adsint, tres marcas, quam summam mulctæ, quamvis omne armentum in campum consitum devenerit, superare non debent; damnum autem a pecoribus illatum restituendum erit**).

Restat modo, ut moneamus, jus comprehendendi pecora, quæ in campo consito reperiuntur, domino hujus ex capite 75to competere, quod caput ceterum, tum ut dominus pecorum, qui ea redimere velit, damnum præstare debeat præscribit, tum regulas speciales de æstimatione damni atque resarcitione ejus continet.

---

byrghæl, tha haræ sjelf gangæ af. Æn far han ey byrghæt. tha hægnæ han sik först utæn innan. ok grannæ the nytæ theræ afræth.

*) *Æn worthær thæt swa at annær by fangær för byrghæt æn annær. tha a han mæth rætæ at gömæ sit fæ af afræth til hin annær far byrghæt.*

**) *Æn wrakæ the fæ i. ok kommæ the mæn til thær wangæn haræ byrghæt. tha hwært howæth thær thær kombær in storhöwæth. tha gjaldæ skathæn ætær han thær fæt a. ok bötæ foræ hwart twa öræ e til tolf öræ. Æn sithæn tolf worthæ tha bötæ thær foræ thre mark. ok tha ma thæt ey sithæn höghre worthæ thæt at hjorth kombær i. Æn skathæn gjaldæ the allæ atær thæt fæt havær gört.*

§ 20.

Præcepta legis Juticæ.

De damno hominibus vel animalihus ab animalibus dato.

Præcepta hujus legis, quamvis eidem principio generali superstructa, quod reliquæ leges antiquæ nostræ in hac materia amplexæ sunt, magis justæ rem spectandi rationi eatenus appropinquavit, quatenus in quantitate eorum, quæ occasione damni ab animalibus illati præstanda sunt, determinanda graviores partes agit respectus culpæ a parte domini intervenientis, quam quæ huic rationi ex ceteris legibus concessæ sunt. Hoc ita se habere ex eo inprimis apparet, quod dominus animalis feri, a quo quis occisus est, eodem modo tenetur, quo dominus animalis mansveti, ubi hoc ter, dum in ipsius dominio est, hominem occidit, quod testatur legem existimavisse, eum, qui animal ferum nutriverit, eo ipso non minus debitam curam neglexisse, quam qui, propterea quod animal mansvetum sæpius occidit, ignorare non potuerit, hoc tale esse, a quo facile aliis periculum immineat, quo accedit hoc ipsum, quod, num animal sæpius interfecerit, vim exserat.

Quod eum casum attinet, quo homo ab animali occisus vel vulneratus est, distinguit hæc lex, utrum animal tale sit, quod jure habere liceat, an ferum.

Si nempe equus vel aliud animal, quod habere licet, utputa bos, sus vel canis, aliquem occiderit atque hoc juramento confirmatur, tenetur dominus ejus ex capite

35to libri 2di tres marcas solvere et simul juramento sacramentalium affirmare, se ignoravisse vitium animali esse; quod si autem idem animal ter, dum in ipsius dominio est, tale quid patraverit, plenas mulctas præstare obstringitur dominus*).

Ubi vero ab alterius equo vel bove vel cane vel alia pecude quis vulnus accepit, tenetur dominus ex Cap. 33tio libri 3tii sostrum solvere, atque, si vitium insequitur, eo etiam nomine luere, non tamen ultra tres marcas. In casu inficiationis juramento duodeno se purgare obstringitur**).

Regulam de læsione ab animalibus feris facta suppeditat Caput 36tum Libr. 2di, ex quo, si quis feras nutriverit, quales recensentur catuli lupi vel ursi, noxiam eorum in solidum præstare debet is, qui eas nutrivit atque in possessione habet***).

De damno animalibus ab animalibus dato occurrunt

---

*) *Slar nokær mans hæst man til döthe. eth noket annet fæ, ther man ær lovet at have. swa sum ær nöt æth swin æth hund. worther thet sworæt til mans bane. tha bötæ bonden thæt a thre mark penning oc give tho thæs logh at han wissæ æi, at thet fe hafthæ then wanæ. æn timir thet tysæ i bondens hæfshe e um thet samme fæ thu bötæ for fullæ bötær.*

**) *Fangær man sar af annans mans fæ. æntigh af hors æthæ nöth. æthæ hund. æthæ noket annæt fæ. tha scal bondæn fææt attæ giræ lækigjæf. æn fangær han lyte af. tha bötæ han lytæ thær fææt attæ. tho worthær æi thæs kyns lytæ höræ æn thre mark. Æn dyl han give tolf men eth.*

***) *Æn föthær man wild djur up swa sum ær ulf hwalp. eth björn hwalp, hwat sum the brytæ thær fore bötæ han fullæ bötær ther them upfödde oc them haver i hæfthum.*

duo præcepta, quorum alterum de eo casu agit, quo pecus apes deleverit vel apes pecudem occiderint, alterum de eo, quo apes alicujus evolantes alterius apibus se immiscuerint.

Prius præceptum in Capite 38vo libri 3tii continetur, ex quo ejus est, qui apes habet, eas ita septis custodire, ut pecudes alterius eas dejicere aut disturbare nequeant, ubi enim sepimentum tam humile est, ut pecudes apiarium ingrediantur atque apes dejiciant, hoc ipsius culpa factum existimandum est nec ulla mulcta præstanda.

Præscribit porro illud caput, ut si pecus alicujus extra apiarium aculeis apum confossa fuerit, dominus harum non teneatur; sin pecus intra apiarium confossa sit, damnum resarcire obstringatur, propterea quod apiarium non justo modo circumsepsit*).

Alium casum supra allatum spectat Cap. 39num, quod sancit, ut si apes alicujus avolando alterius apibus commisceantur, dominus harum eum, cujus illæ sunt, testibus vicinis convenire debeat, qui si voluerit apes communes esse, communio fit; sin noluerit atque apes ipsius ab iis, quibus se immiscuerunt, occisæ fuerint, hoc ipsi

---

*) *Hwa sum bi harær han scal sjælf worthæ them meth garth hwat annens mans fæ ma them æi nithær kastæ oc spillæ. æn ær garth swa lagh. at annen mans fæ ma gangæ i garth oc spillæ them witæ sik thet sjælf oc fangæ ængi annen bot. Æn worthær nokær mans fæ stangæt til döthæ uten bigarth. tha bötæ hin ikke for ther bi allæ. æn worthær thet stangæt i hæl i bigarth. gjældæ aftær scuthæn. forthi at han hafthæ æi laghæ garth.*

imputandum est, quia lucrum et damnum cum altero communicare noluit*).

§ 21.

Præcepta ejusdem legis de damno ab animalibus rebus inanimatis illato.

Huc pertinet Caput 48vum libri 3tii, tum quatenus cavet, ut si grex boum, equorum vel suum propter pastoris negligentiam casu in alterius agrum devenerit, dominus pecorum damni resarcitionem præstare teneatur atque juramento legitimo affirmare, pecora non ipsius jussu in agrum immissa esse; tum quatenus præscribit, ut si pecus alicujus alterius pratum casu ingressa et depasta sit, damnum resarciendum sit**).

---

*) *Flyghæ nokær mans by til annen mans by tha (scal) han han thær the bi a thær uppæ flygæs meth andræ grannæ witnæ sighæ then til thær the andræ bi havær. Wil han tha thær the catæræ bi havær havæ fælugh meth hin annen bathæ um the bi ther upflyghæs oc swa um the andræ. tha ma thet wal waræ. æn wil han æi thet oc forkummær hin sithen the bi thær hans bi flughæ up witæ sik thet sjælf förthi at han wildæ æi skiftæ with hin annen bathæ gagn oc scathæ.*

**) *Far man meth hjorth. æthæ meth stoth. æthæ med wrat i annen mans akær oc hirthær hans korn up meth wald tha ær han thær foræ skyldigh at bötæ fullæ fjurtuge mark forthi thet ær ful hærwærki. æn kommær thæt i mans akær at wathæ for hirthens wangömæ. tha bötæ hin scathet aftær ther fæct attæ. oc givæ the logh at thet war æy hans both at hans fæ kommer i. Æn hirther man annen mans eng up meth wald tha gjaldæ han scathægjald ther fæct attæ oc bötæ a thre mark. Æn kummær thet i at wathæ. tha bötæ*

Hoc loco nominandum porro est Cap. 55tum libri ejusdem, quatenus præcepta continet, quæ ad damnum, quod per equas soboli destinatas inferri possit, avertendum spectant, quo respectu cavetur ut qui equas ejusmodi habeat eas in campo suo, pastore apposito, custodire debeat, quod si facere noluerit atque ager alterius vastatus sit, prohibitio in jure fieri potest, qua facta si dominus equarum damnum patitur, modo in agro datum fuerit, hoc ipsius culpa illatum existimandum est.

Qui equas tales in eo agro habet, cujus partem nullam possidet, adstringi potest ut eas ad se recipiat; si vero quis partem agri dolose emerit, ut ipsius equæ aliorum agros depascantur, possessoribus eorum cum in hoc convenire licet, ut modo talem numerum equarum habeat, qui ei parti agri, quam tenet, congruat. Sancitur porro, ut si equæ lue afficiantur atque dominus earum eas non in suo seorsim habere velit, illis eas, denunciatione in jure facta, in loca paludosa propellere et impune trucidare liceat, quod etiam de equabus mansvetis valet*).

---

scathegjald, sum fyrre ær sagth. Worthær korn öd swa sum sagth ær. tha ma hin thær kornet attæ delæ thet meth sannendemæn oc meth gothæ witnæ til hærwærki. æn then ther sækthæs for æng. of han dyl wærja sik meth frændeth.

*) *Hwa sum havær stoth hors havæ them i foldæ a sin egæn mark. oc have til them hirthæ æn wil han ey thet göræ. men öthær meth them bondærwangh. tha mughæ the them forleggæ a thingi oc fanghær han nokær scathæ sithen. ther horssen a. tha havæ hæmmegjald. of thet worthær i wang. æn hwa sum hawær stothors a then mark ther han havær*

Sectio tertia.

Præcepta juris patrii hodierni.

§ 22.

Sanctiones, quæ de morte homini ab animali illata agunt.

Ei ordini convenienter, quem in argumento legum Daniæ antiquarum exponendo secuti sumus, primum dispicienda erunt ea, quæ hodierno jure patrio continentur præcepta de damno, quod ab animalibus hominibus infertur, quorum in hac §pho ea tractanda sunt, quæ de morte illata agunt.

Ita nobis occurrit Codicis Christianei 6–10–3, cujus verba hæc sunt. „Dræber nogen Mands Hest eller noget „andet Fæe, som Mand lovligen maae have, noget Men-

---

æi enghæn i. tha mughæ men lagh krævæ hanum til at takæ sin hors hæm. æn of han wil æy. oc fangæ the sithæn nokær scathæ, witæ sik thet sjælf for thi utæn theræ wili ma han æi hældær öthæ theræ græs a fælæth æn theræ korn meth stothors. æn köper man for swik a annens mans marc ænthigh for en marc æthæ twa ællær meræ. forthi han wil öthæ theræ mark. meth sine stothors. tha mughæ æghær æftær guls wirthning nothæ hanum til at tælæ til swa sum mark ma tholæ. oc leggæ til theræ fæleth swa sum swin læghs til alden. oc the thær i by bo the waldæ logh for thi the wetæ garst. hwat theræ mark ma föthæ. Worthær stothors scabbæth. oc wil then ther a æi gömæ then færlit. a sint eghet. tha mughæ ægher them for læggæ a thingi, oc æltæ them sithæn i dy ællær dræpæ utæn witæ. thæssamæ ær um tam hors of the æræ scabathæ.

„neſte, da ſkal Eiermanden bøde tre Lod Sølv, og gjøre „ſin Eed, at han ei vidſte, at det Fæe havde den Vane. „End ſkeer det anden Gang, imens han haver ſaadant „Fæe i ſin Hævd, da affone det hos den Afdødes Arvin= „ger efter ſin Formue."

Rei natura fert, ut de poena domino animalis infligenda sermo esse nequeat eo in casu, quo ejus culpa, qui mortem obiit, factum sit, ut animal ipsum occiderit; cujus rei argumentum etiam præbet tum ipse articulus, cavendo, ut dominus animalis jurejurando affirmare debeat, nihil sibi de petulca istius immanitate antea constitisse, quæ sanctio ea suppositione niti videtur, quod nulla actio adversus dominum animalis institui possit, nisi nullo facto ab ejus parte, qui occisus est, commotum animal mortem ei intulerit; tum analogia articuli antecedentis, qui præstationes, quas ubi homo ab animali quodam vulneratus est præscribit, locum non habituras esse monstrat, si illius interveniente culpa effectum fuerit ut ab animali vulneraretur. Sequitur porro ex rei natura, ut quæ ita statuenda censemus non modo circa prius articuli membrum valeant, verum etiam posterius afficiant, quippe quum ratio, cur dominus, si animal, dum in ejus possessione est, secunda vice aliquem occiderit, hæredibus hujus præstationem præscriptam solvere absolute teneatur, posita sit in eo quod tum dominus animal petulcum esse ignorare non potuerit; unde fluit tum ut, si animal prima vice aliquem occiderit, qui culpa sua huic rei occasionem dederit, dominus, si illud deinde alium interemerit, culpa hujus non interveniente, non

nisi ex priori membro teneri queat; tum ut dominus eo casu sit ab omni præstatione immunis, quo animal sæpius occiderit, si ii, qui interemti sint, propria culpa animal ad tale facinus adduxerint.

Respectu hujus articuli deinde monendum est, verba „affone det hos den Afdødes Arvinger efter sin Formue" poenam pecuniariam arbitrariam spectare, in qua constituenda ad eam analogiam respiciendum est, quam præbent præcepta juris nostri de actionibus culposis, speciatim const. 4 Oct. 1833 § 29, quamvis enim 6-10-3 ad 6-11-1 se non refert,*) vel maxime tamen verosimile est id præceptum articuli 6-10-3, de quo agimus, ex eadem rei spectandæ ratione emanavisse, quam in præcipiendo de actionibus culposis secutus sit legislator; eandemque poenam eo in casu applicandam esse, quo animal prima quidem vice occiderit, dominus autem ejus juramento præscripto se defendere non audeat, quippe quum ex eo ipso appareat illum non latuisse id vitium animalis, cujus ignoratio efficit, ut non nisi ad minimam illam mulctam sescunciæ argenti solvendam teneatur**). Mulctam hanc hæredibus defuncti præstandam esse, non dubitari posse videtur, si respicitur tum ad posterius articuli membrum, ex quo satisfactio illis solvenda est, tum ad 6-11-1, 4, 7, 8, 9, 11 et 12, in quibus locis mulcta hæredibus interfecti assignatur, excepta ea parte, quæ ex C. 6-11-4 ob temerariam actionem domino competit.

Statuit celeberrimus Ørsted, rei naturam atque ana-

*) Eunomia 3 Deel p. 257.

**) Eunomia 3 Deel p. 256.

logiam N. L. 6–10–2, in quo præcipitur: „Fanger Mand Skade af anden Mands Hors, eller Nod, eller noget andet Fæ, eller Hund, som gaaer løs, og den, som Skaden fik, ikke selv foraarsagede det, da skal den, som Fæet eller Hunden eier, give Badskjærløn. End fanger han Lyde deraf, da bøde den, der Fæet eller Hunden eier, Lyden efter Sagens Beskaffenhed. En Hund, som haver gjort saadan Skade og haver Vane dertil, skal af Eiermanden selv ødelægges; hvis det ei skeer, da være han forfalden til høiere Bøder, naar Hunden atter gjør Skade; og være enhver frit for at ihjelskyde Hunden, hvor den findes," ferre, ut domino animalis, quod nocuit, a magistratu competente injungi possit obligatio illud interimendi, nec eum ab hac obligatione se liberare posse declarando, se, si animal damnum dederit, hoc legi convenienter præstiturum esse*). Hæc sententia vix probanda est. Eo enim, quod poenam præscribit ei infligendam, cujus animal sæpius nocuit, videtur lex omnia ea instituisse, quæ ad damnum, quatenus fieri potest, præcavendum idonea existimaverit, nec facile, absque jussu legis, admittenda est agendi ratio, quæ modo omnino extraordinario jus dominii civium afficit. Quatenus allegata est analogia N. L. 6–10–2, tantum abesse nobis videtur, ut illam sententiam commendet, ut potius eam dissvadeat, quippe quum modo præcipiat, ut canis, qui nocuit, interficiendus sit, talem vero sanctionem respectu aliorum, quæ in articulo commemorantur, animalium non contineat; nec

---

*) Eunomia 3 Deel p. 257.

difficile est causam suspicari, ob quam ratione canis regulam præbuerit, quam in alia animalia applicandam esse noluerit.

Quodsi 6-10-4, qui cavet: „Føder man vilde Dyr op, som ere Ulve, eller Bjørne, hvad Skade de gjøre, derfor bøder Eiermanden og den, som dem i Hævd haver, ligesom han, den selv gjort havde" eum casum complecteretur, quo quis occisus sit, ad hunc locum pertineret, hoc autem statui nequit*). Hujus rei gravissimum argumentum inest in eo modo, quo verbum „Skade" usurpatur in diversis capitis articulis. 1mus nimirum cavens „Udlaaner nogen sine Vaaben, Kaarde, Kniv, Staver, Kjep, eller noget saadant, som man kan gjøre Skade med, til anden Mand, naar han er i Trætte og Klammerie med nogen, eller og det beviisliggjøres, at det var hannem vitterligt, som udlaante dem, at den anden vilde gjøre Skade dermed, og den, som fik Vaaben i Hænde, gjør nogen Skade dermed, da bøder den, som dem udlaante, halv saameget, som den, der Skaden gjorde" ex justa interpretatione non respicere potest eum casum, quo quis alteri arma sua ad aliquem interficiendum commodaverit; atque 2dus et 3tius expressis verbis „Skade" et „Drab" invicem sibi opponunt, cum prior dicat: „Fanger Mand Skade af anden Mands Hors, eller Nod, eller noget andet Fæe" posterior autem: „Dræber nogen Mands Hest eller noget andet Fæe, som Mand lovligen maa have, noget Menneske" — — Ea, quæ ita in illis articulis occurrit

*) Eunomia 3 Deel p. 258—259.

distinctio inter „Skade" et „Drab", non solum cum usu loquendi universaliter recepto convenit, ex quo verbum „Skade" tam lato sensu usurpari nequit, ut privationem vitæ contineat, qui usus loquendi non modo in articulis supra allatis adoptatus est, etiam vero in aliis, quales afferri possunt 6–6–11 „hvo som raader og tilskynder nogen til at gjøre anden Mand Skade, saa at han derover bliver dræbt"; 6–11–4 „og anden deraf fanger Skade, Saar, Meen eller Vane"; quæ rei spectandæ ratio nec infringi posse videtur eo quod 6–10 generaliter inscribitur: „Om Skade af anden Mands Vaaben eller Fæe" nec singulis iis articulis, in quibus vox „Skade" cædem involvit, quales nominari queunt D. L. 6–11–7 et 8, non vero, ut videtur, 6–7–18, quippe quum verba hujus: „Skade paa Liv, Helbred og Lemmer" phrasin aliquam satis usitatam constituant, quæ eatenus exceptionem ab usu loquendi admittit.

Commendatur porro ea interpretatio, ex qua 6–10–4 cædem homini illatam non spectat, eo quod, ut in sequentibus probandum erit, articulus ei, cujus animal damnum intulit, eandem poenam injungit, ac si ipse ex proposito factum perfecisset, quæ regula circa cædem minime valere potest.

Quodsi iis, quæ exposuimus, convenienter statuitur, 6–10–4 rationem cædis ab animalibus in illo nominatis illatæ non habere, necesse est domino animalis, quod aliquem interficit, poena arbitraria irrogetur, secundum codicem Christianeum ex analogia 6–7–18, posterioris membri,*) nunc vero principaliter ex analo–

*) Ussings Criminalret, 2 Deel p. 68.

gia constitutionis 4 Oct. 1833 § 29, in qua poena emetienda vim exserere debent ea momenta exasperantia, quæ §phus citata constitutionis hujus ex prægnanti negligentia desumit, quam exhibuit culpose agens, cujus ordinarie se reum reddidisse æstimandus erit is, qui animalia immanis naturæ aluit.

Afferendum denique est singulare præceptum, quod de eo casu, quo canis hominem occidit, continetur in constitutione 4 Oct. 1815, cujus § 3tia præscribit, ut si quis mortem obierit propterea quod dominus canis ea neglexerit, quæ ad periculum damni a cane inferendi avertendum observari debuissent, non modo afficiendus sit dominus ejus mulctis §§ 1ma et 2da propter negligentiam exhibitam generatim constitutis, verum etiam ex principiis legum puniendus, quæ quidem inprimis ex 6-10-4 atque const. 4 Oct. 1833 § 29 desumenda sunt.

§ 23.

De vulnere homini ab animali illato.

De eo casu, quo animal alicujus hominem vulnerat, præcipit 6-10-2, cujus verba hæc sunt: „Fanger Mand Skade af anden Mands Hors eller Nod, eller noget andet Fæe, eller Hund, som gaaer løs, og den, som Skaden fik, ikke selv foraarsagede det, da skal den, som Fæet eller Hunden eier, give Bådskerløn. End fanger han Lyde deraf, da bøde den, der Fæet eller Hunden eier, Lyden efter Sagens Beskaffenhed."

Recte censent hunc articulum ei, cui vulnus illatum,

minus plenam resarcitionem tribuere, quam 6–7–10, cum enim mentionem non faciat ejus præstationis alimentorum atque resarcitionis detrimenti oeconomici, quam 6–7–10 addicit, satis dilucide indicare videtur, talem locum habituram non esse, quæ sententia, ut monet Örsted,*) non minus eo confirmatur, quod resarcitio, quam lex ob damnum ab animalibus illatum constituit, ordinarie plena non est, quam eo, quod 6–10–2 Codicis Christianei Norvegici adjicit: „En Hund, som haver gjort saadan Skade, og haver Vane dertil, skal af Eiermanden selv ødelægges; hvis det ei skeer, da være han forfalden til høiere Bøder, naar Hunden atter gjør Skade" majores enim mulctæ, quas dominus canis solvere tenetur, secundum eum nexum, in quo hoc præceptum ad ea, quæ antecedunt, sistitur, non nisi ad ea, quæ propter deformitatem solvenda sunt, spectare statui possunt.

Anomalia, quæ ex comparatione facta articuli 6–10–2 cum 6–7–10 eatenus progreditur, quatenus ille præstationem pecuniariam ob deformitatem injungit, quæ ex natura sua damnum inæstimabile continet, non vero ob detrimentum oeconomicum, non sola in hac materia occurrit; inest similis quædam in eo, quod 6–10–2 resarcitionem eatenus pleniorem admittit quam 6–11–2, quatenus ex hoc is, qui culpose aliquem vulneravit, ad sostrum solvendum tenetur atque ad alimenta præstanda usque dum læsus reconvaluerit, ab alia autem mulcta immunis est, quæ anomalia quo minus tollatur interpre-

*) Haandbog i den danske Lovkyndighed 5 B. 1 St. p. 35 cfr. Nyt juridisk Archiv 22 Bd. p. 129.

tando 6-11-2 ita ut ampliorem resarcitionem assignare statuatur, prohibent, si non aliæ rationes, attamen verba ejus „og være frie for anden Bod"*). Quæ ratione 6-11-2 ita disseruimus, nunc practicam utilitatem non habent, cum regulam de læsionibus corpori cujusdam culpose illatis suppeditet const. 4 Oct. 1833 §. 28, ex qua ei, cui nocitum, si ipse sine culpa est, præter sostrum atque damnum oeconomicum reparatio præstanda est ob dolorem atque vitium vel deformitatem ex læsione ortam.

Hoc loco porro afferendus est Cod. 6-10-4, cujus argumentum in §pho antecedente jam exposuimus. Monuimus in illa §pho, præceptum ejus „ihvad Skade de gjøre, derfor bøde Eiermanden, og den, som dem i Hævd haver, ligesom han den selv havde gjort" ita intelligendum esse, ut dominus animalis eandem poenam incurrat, quæ ei, si ipse ex proposito factum perfecisset, infligenda fuisset. Verba ipsa hanc interpretationem ferre videntur, quam admittendam esse svadet analogia 6-6-11, 12, 6-7-18 et 6-10-1, in quibus similes phrases occurrunt, quæ alio modo explicari nequeunt, quo accedit, quod, si illa verba articuli 6-10-4 ita interpretanda essent, ut dominus animalis feri ac si ipse culpose egisset æstimandus esset, modo ex 6-11-2 teneretur, qui articulus, ut supra docuimus, minores quin etiam præstationes irrogat, quam quæ a domino animalis mansveti, quod homini nocuit, solvendæ sunt**).

*) Nyt jur. Arch. 22 Bd. p. 130.

**) Eunomia 3 Deel p. 258—259.

Censemus igitur, 6-10-4 voluisse ut dominus animalis nocentis ea poena afficeretur, quæ ipsi, si dolose alteri nocuisset, ex 6-7 infligenda fuisset, quare nunc ex constitutione 4 Oct. 1833 tenebitur, in qua applicanda ita ceterum nos versari oportebit, ut poena haud facile id minimum, quod in singulis quibusvis casibus præscriptum est, superet, quod eo magis statuendum, quo facilius alias fieret, ut poena iniquo modo ei appropinquaret, quæ in casu mortis alicui illatæ locum habebit (cfr. § 23).

Observanda denique est constitutio 4 Oct. 1815, quatenus §pho 3tia dominum canis, qui homini nocuit, tum ad damnum resarciendum, tum ad reparationem propter dolorem atque vitium, si tale insecutum est, præstandam obligat.

§ 24.

De damno animalibus ab animalibus illato.

Principale præceptum de materia in hac §pho tractanda continet 6-10-5, cavens: „Bide, stange, eller slaae en Mands Bæster eller Fæ, anden Mands Bæster eller Fæ ihjel, da skal den, som eier Bæst eller Fæ, der Skaden gjorde, betale den anden halv saameget, som det Bæst, eller Fæ var værd, der dræbt blev, saafremt at det, som dræbt blev, var saa godt, eller bedre, end som det der dræbte; men var det, som dræbt blev, ringere end det, som dræbte, da skal dets fulde Værd betales."

Ratione hujus articuli in medio poni potest quæstio, num principium Romanum: noxa caput sequitur,

adoptatum sit, ita ut dominus animalis lædentis ad resarcitionem, quæ pretium ejus superet, præstandam teneri nequeat. Ad hanc quæstionem negando respondendum esse satis superque probavit Örsted in Nyt juridisk Archiv, 22de Bd. p. 133—137 cfr. Haandbog over den Danske og Norske Lovkyndighed, 5te Bd. 1 St. p. 36—37, quare ad ea, quæ in locis citatis celeberrimus ille disseruit, nos referre liceat, hoc solum monentes, omissionem ejus præcepti, quod illi principio conveniens continetur in fonte articuli allegati, legis Norvegicæ Christiani IVti Landsleie Balkens 33tio capite „undtagen den, der lever, er Halvparten mere end den, som døde, da maa han ikke mere forgjøre end sig selv," eo magis probare tale principium in codice nostro non receptum esse, quo magis hic ea principia, quæ in antiquis legibus circa amplexum obligationis resarcitionem præstandi valuerunt, mutaverit, quod ceterum naturaliter eveniebat cum conscientia juris magis explicata docuisset, in hac materia ordinanda non subsistendum esse in iis rei spectandæ rationibus, quæ ævo rudi et inculto deberentur, cujus erat potius eorum respectum habere, quæ in externo foro se sisterent, quam eorum, quæ quasi remotiora et abscondita relationi juris fundamentum et vim tribuant.

Præcepta articuli 6-10-5 in eum casum analogice applicanda esse, in quo pecus alicujus pecudem alterius non quidem occiderit, sed alio modo læserit, non dubitari posse videtur, quæ enim ratio rei spectandæ legislatoris fuerit, constat tamen eum singularem vim ei re-

lationi tribuisse, in qua pretium unius pecudis ad pretium alterius sistatur.

Articulus deinde se offert 6–10–6, qui cavet: „Bider Hund anden Mands Quæg ihjel, eller jager det i Ufore, da bode den, der Hunden eier, første Gang halv Skaden, men skeer det tiere, da bode for hver Gang heel Skaden," quod præceptum, ei sanctioni articuli 6–10–3, ex qua iteratio læsionis majores præstationes affert, consentaneum, dubia non movet.

Quamvis 6–10–4 aliam læsionem non spectet, quam quæ homini infertur, dubium tamen esse nequit, quin si animal ejus generis, cujus sunt ea, de quibus in illo articulo agitur, pecudi alterius nocuerit, plenissima damni resarcitio præstanda sit.

Priusquam materiam de damno animalibus ab animalibus dato missam faciamus, nominanda sunt ea præcepta codicis 5–13, quæ ejusmodi damnificationem attingunt*).

In articulo 1mo et 2do hujus capitis duo casus exponuntur, in quibus damnum resarciendum non est. Prior enim cavet, ut si sepimentum apiarii tam humile sit, ut pecudes alienæ illud ingredi atque apibus nocere possint, dominus harum damnum sibi ipsi adscribat; posterior vero sancit, ut dominus apum, si pecudes alienas extra apiarium necaverint, nihil præstare teneatur, quod præceptum exceptionem satis naturalem ab iis, quæ 6–10–5 præscripta sunt, constituit. Obligationem damni resar-

*) Fons horum præceptorum est lex Jutica; vid. §. 20.

ciendi, ubi pecudes intra apiarium necatæ fuerint, domino apum injungit articulus tertius, causam afferens, quod apiarium suum non justo modo circumsepserit. Quæ omnia præcepta rei naturæ omnino congruunt. Cautum denique est in articulo 4to, ut si apes alicujus avolaverint atque apibus alterius se immiscuerint, ille domino harum apum communionem omnium offerre debeat; quod si vero hanc conditionem accipere noluerit atque apes ejus a ceteris occisæ sint, ipse damnum sibi adscribat.

§ 25.

De damno rebus inanimatis ab animalibus illato.

Circa id damnum, quod animalia rebus inanimatis alicujus inferunt, non exstant fere alia præcepta, quam quæ materiam de securitate ab invasione animalium agris comparanda spectant, quæ quidem decursu temporis tot modificationes subierunt, ut præscripta nunc valida omnino ab iis, quæ, ex antiquis legibus desumta, codice Christianeo continebantur, recedant. Codex nimirum regulam generalem statuens, cujusvis, qui securitatem agris suis comparare velit, esse sepes necessarias constituere, domino animalis nocentis obligationem resarcitionis præstandæ non injungit, quo respectu allegari possunt 3-13-40 et 41, quorum articulorum prior docet eum, qui aliquam terræ partem antiquitus non conseptam, quam vero dissepire liceat, sepimento includat, talem sepem struere debere, qualem sufficere posse existimet, eique ipsi adsignandum esse damnum, quod ex sepe non satis bona

oriatur; posterior autem circa eum casum, quo ager alicujus non sepe vel fossa, sed amne aliave aqua munitus est, si aqua ita diffluat, ut aliena pecora per vadosa loca in agrum devenire possint, sancit, ut sit domini agri, si agro consultum velit, aut sepem constituere aut custode adposito prohibere, ne pecus in eum ingrediatur, quod principium etiam in articulo 47 ejusdem capitis quoad hortos, pomaria, olitaria etc., valet.

Concessa quidem erat libertas, pacta ineundi, quibus obligatio cavendi ne pecora alienum fundum invaderent, atque, si contrarium factum, pignoris dandi constitueretur, cfr. 3-13-31 et 33; eo vero principium Codicis non afficitur, a quo ceterum non nisi paucæ adsunt exceptiones. Hoc nomine afferri debet 3-13-44, ex quo is, qui, frumento suo in horrea comportato, aliorum vero messe non confecta, pecora sua in campum consitum immittit, cavere tenetur ne aliorum agris nondum demessis damnum faciant, quod præceptum ex insequente articulo etiam valet quoad habitatores vici, qui agros cum alio communes habent, si prius quam incolæ hujus vici messem absolverint, ita ut si contrarium actum fuerit, teneantur ad damnum illatum resarciendum, quam tamen obligationem eo in casu non exstare probat 3-13-46, quo quis ob negligentiam vel malitiam segetem suam jam maturam demetere noluerit.

Nominari hoc in loco debent etiam tum 3-13-47, quatenus iis, quæ de obligatione domini ipsius cavendi ne pecudes hortum ejus invadant, limitationem adjicit circa capras, boves, sues; cfr. quod ad capras attinet,

5-12-1, 2; tum art. 4, 5 et 6 ejusdem capitis, ex quibus possessor armentorum equinorum ea ita custodire debet, ut aliorum agro damnum non inferant, resarcitionem, si hoc neglectum fuerit, præstiturus.

Ea vero præcepta, quæ obligationem ejus damni præstandi, quod illatum est ab animalibus propterea quod is, cujus erat sepes conservare, hoc neglexerit, constituunt, ád hanc materiam non pertinere, in oculos incurrit, quippe quum obligatio hoc in casu tantummodo nitatur in intermissone ejus curæ, quæ quoad sepes adhibenda fuisset, quo respectu speciatim monendum est, in hisce præceptis non modo de damno ab suis pecudibus, etiam vero ab alienis facto agi; 3-13-37 cfr. 38, 44. N. L. 3-12-19, 20.

§ 26.

Continuatio.

Principium illud parum æquum, vi cujus damnum agris ab animalibus datum ordinarie ei soli assignabatur, qui sepibus constitutis non prohibuisset, quo minus pecora in agros ingrederentur, non quidem cum summo rigore in praxi applicatum fuisse, suspicari licet ex constitutione 14 April 1694, cujus præmissæ docent, eam emanavisse ut ii abusus averterentur, qui circa pecora comprehendenda atque redimenda, quando per sepes collapsas et dirutas in agros alienos devenissent, exstiterunt, ad quem finem assequendum determinat constitutio eam summam pecuniarum, quæ, ut pretium redemtionis pro

diversis pecudibus præstanda est, cavens ceterum, ut damnum datum ad arbitrium bonorum virorum resarciendum sit; atque is, quem indigitare videtur constitutio allegata, transitus ad principium legum nunc vigentium, ex quo domini animalium est cavere ne alienos agros lædant, sensim sensimque majori amplexu se exhibuit. Hujus rei exempla sunt Pl. 18 November 1778, cujus §§ 2 et 3 expresse indicant, habitatores tum municipiorum, tum vicorum obstrictos esse ad pecora sua ita custodienda, ut damnum non inferant, atque in casu talis illati obligationem resarcitionis præstandæ injungunt; porro Pl. 24 Juli 1786 atque constitutio 19 Sept. 1792 § 20, quarum legum præcepta ejusdem rei spectandæ rationis testimonium præbent. Per constitutionem 29 Octob. 1794 autem omnino fere missum factum est id principium, quod codice Christianeo receptum esse supra monuimus, cujus vestigia eatenus modo restant, quatenus constitutio in singulis casibus domino pecudum minores præstationes imponit, propterea quod possessor fundi ea neglexerit, quæ quoad sepem exstruendam vel conservandam facere ipsius fuisset, aliove modo in culpa fuerit. Mutatum esse principium illud Codicis Christianei satis superque monstrat §phus 30ma, quippe quum interdicat, quo minus quis ex eo, quod sepes vicini non exstructa vel modo justo conservata sit, occasionem capiat non cavendi, ne pecora ejus agrum, pratum, pascuum vel ericetum alienum ingrediantur, cuivis obligationem injungens, quando sepes non sufficiat ad pecora a fundo vicino detinenda, ea palis alligandi vel custodiendi, quare ei,

qui pecus alienum in suo fundo adinvenit, tametsi sepe instructus non sit, conceditur jus illud comprehendendi.

Quod attinet ad ea, quæ occasione animalium in alterius fundo deprehensorum solvenda sunt, abeunt in duas partes, nimirum in pretium redemtionis et damni resarcitionem, ratione quarum præstationum constitutio satis exactas suppeditat regulas, quibus omissis principia, quibus nituntur, breviter attingere licebit.

Continentur hæc, quod pretium redemtionis attinet, in § 32da, ex qua quantitas illius pretii principaliter ab eo pendet, num pecus in horto deprehensa fuerit vel in fundo, qui communioni exemtus uni adsignatus est, an in fundo, qui alius qualitatis est, ita ut in priore casu maximum, in posteriori minimum sit pretium redemtionis; aliud vero momentum, quod in determinando, quanta summa redemtio fieri debeat, respicit, hoc est num hortus et fundus legitimo modo sepe instructi sint an non, ratione porro habita ejus usus, in quem fundus adhibitus sit*).

Circa damni resarcitionem præscribit deinde §phus constitutionis 31ma, ut damnum illatum eorum, qui ex §pho 17ma eligendi sunt viri oculati, arbitratu æstimandum sit, adjecta tamen ea restrictione, ut, quæ sit æstimatio damni, nemo resarcitionem exigere possit, quæ

*) In Haandbog over den danske og norske Lovkyndighed, 5 Bd. 1 St. p. 38 monet cel. Örsted, pretium redemtionis spectari posse, tum tanquam additamentum resarcitioni damni adjectum, quæ sæpe exacte determinari nequeat; tum ut satisfactionem ejus incommodi, quod ferat deprehensio pecudum; tum ut poenam quandam privatam, qua impellantur domini pecudum ad cavendum, ne eæ in agrum alienum deveniant.

superet pretium pecudis ipsius, quod præceptum, si culpa ejus, qui fundum possidet, factum est, ut pecudes in eum devenerint, quando nempe ea neglexerit, quæ quoad sepem exstruendam vel conservandam instituere ipsius fuisset, eam subit modificationem, ut dominus pecudum non nisi ad dimidiam partem damni illati præstandam teneatur, vide § 32dam, 3tiam et 5tam.

Sunt porro, priusquam hanc constitutionem missam faciamus, duo ejus præcepta afferenda, quæ tum propter argumentum ipsorum satis grave, tum ob id principium, quod indicare videntur, insignia sunt; intelligimus ea, quæ §§ 34ta et 43tia continentur, quarum prior sancit, ut si quis equum, qui quinta vice, aliamve quadrupedem, quæ quarta vice in ipsius fundum irruerit, deprehenderit, non modo pretium redemtionis solvendum sit, sed etiam, pauperibus applicandum, dimidium pretium pecudis, quæ publica auctione vendenda est, ita ut emtor ejus, si non caveat ne in fundum alienum irruat vel super justam sepem ingrediatur, eam, pauperibus applicandam, amittat; circa animalia vero alata, quæ quarto comprehenduntur, præscribit, ut comprehendentis sint atque statim occidantur.

§ 43tia præcipit, ut si quis pecudes alicujus pro locario receperit, eæ vero in alieno fundo deprehensæ fuerint, ille eas redimere atque damni resarcitionem præstare teneatur, ita tamen ut ei, qui pecudes comprehendit, ex iis satisfactionem petere liceat, salvo tamen regressu domini pecudum adversus eum, qui illas in pascuum recepit.

Monuimus supra, vestigia quædam ejus principii, quod in codice Christianeo receptum erat, in constitutione 29 Octob. 1794 restitisse, hæc vero omnino per constitutionem 9 Juli 1817 sublata sunt, cujus §phus 2da docet illas distinctiones, quæ priore constitutione, speciatim inter agros sepe instructos eosque, qui tali instructi non essent, factæ sint, non respiciendas esse, atque eas summas pecuniarum, quibus redimendæ sunt pecudes, omnino generaliter determinat, et quidem ita ut eas superent, quæ per constitutionem 29 Octob. 1794 præscriptæ erant, quo respectu ceterum nunc observandum est Pl. 14 Juli 1837, quæ summas illas pecuniarias imminuit.

Ita ut de ea re dubia omnino non moveantur statuunt constitutionem 9 Juli 1817 præcepta constitutionis 29 Octob. 1794 circa damni resarcitionem mutavisse, quod minime dubio exemptum nobis videtur.

Cum enim §phus 1ma constitutionis prioris ait: Enhver skal fremdeles være pligtig til at holde sine Kreaturer, til alle Aarets Tider, paa sit eget, og Enhver til alle Aarets Tider være berettiget til at optage anden Mands Kreature, naar og saa ofte det findes paa hans besaaede eller ubesaaede Jorder, samt til, foruden den af Kreaturet forvoldte Skades fulde Erstatning, saavelsom Foderløn, med videre, efter Forordningen 29 Octob. 1794 § 33, af sammes Eier at oppebære Indløsnings- eller Optagelsespenge, saaledes som disse i nærværende Forordning bestemmes," tum quidem nexus verborum non prohibere videtur, quo minus vocabulum „fremdeles" æque referatur ad ea, quæ de juribus domini agri præ-

cipiuntur, quam ad ea, quæ de obligatione domini pecudum caventur, ex quo sequeretur, ut eædem regulæ, quæ olim de damni resarcitione valuerunt, porro vim suam retinerent, quæ interpretatio, cui nec absolute adversantur verba „den — forvoldte Skades fulde Erstatning" cum satis naturaliter fieret, ut denotationi generaliter factæ præceptorum priorum non adjiceretur mentio earum exceptionum, quæ in singulis casibus admissæ essent, eo quin etiam commendari videtur, quod non prius quam in 2da §, ratione habita summæ redemtionis, cavetur, ut non respiciendæ sint diversæ illæ distinctiones, a quibus ex constitutione 29 Oct. 1794 ea summa pecuniarum pendebat, qua redemtio fieri debebat.

Quodsi vero hac interpretatione non adoptata statuitur, § 1mam constitutionis 9 Juli 1817 præscripta constitutionis 29 Oct. 1794 quoad damni resarcitionem modificavisse, nascitur quæstio, num verba illius §phi „Enhver skal fremdeles være pligtig til — foruden den af Kreaturet forvoldte Skades fulde Erstatning —" id præceptum §phi 31mæ constitutionis 29 Oct. 1794 sustulisse statuenda sint, ex quo resarcitio damni illati pretium pecudis deprehensæ superare non debet, ad quam quæstionem negando respondendum esse censere videtur cel. Örsted, monens constitutionem 9 Juli 1817 non talem esse, quæ illo respectu novum præceptum dedisse videatur, eamque forsan non nisi eatenus priorem mutare voluisse, quatenus propter negligentiam, quam is, qui damnum passus sit, circa sepem exhibuerit, in cer-

tis casibus supra commemoratis modo dimidiam resarcitionem concesserit*).

Adsunt vero quæ contrariæ sententiæ inhærendum esse svadent. Quodsi statuitur §phum citatam constitutionis 9 Juli 1817 modificavisse constitutionem 29 Oct. 1794 de damni resarcitione, non esse videtur, cur, cum verba ipsius latissime pateant, non omnes, sed modo singulas quasdam limitationes hac constitutione factas sustulisse censeatur; in ipsa natura enim harum nihil inest, quod ferat, ut contra argumentum verborum legis magis retineatnr ea, quæ versatur circa pretium pecudis lædentis non superandum, quam ea, quæ culpam a parte ejus, qui damnum passus est, spectat; quin contendere licebit, parum probabile esse eam legem, qaa tanto cum rigore id principium exhibeat, ex quo cujusvis est cavere ne pecudes ejus alienis agris damnum inferant, ut omnem vim ademerit ei excusationi, quæ negligentia ejus, cui damnum illatum, continetur, eam restrictionem retinuisse, ex qua is, cujus pecudes, culpa ab alterius parte non interveniente, læserint, ad resarcitionem, quæ illorum pretium excedat, præstandam non teneatur.

Argumentum pro nostra sententia præbere etiam videtur §phus 4ta ipsius const. 9 Juli 1817, ex qua, si damnum sepeti alicujus aliquo modo illatum fuerit, duplum præstandum est, quo præcepto, quod damnum per animalia datum complectitur, omnem respectum pretii

---

*) Haandbog over den danske og norske Lovkyndighed 3 Bd. 1 St. p. 38.

animalis omissum esse necesse est statuatur, cui argumento eam ab causam singularis vis tribuenda videtur, quod const. 29 Oct. 1794 § 36 resarcitione in simili quodam casu determinanda limitationem §pho 31da sancitam respexisse censenda est.

In materia de damno, quod agris ab animalibus alienis infertur, tractanda restat modo ut moneamus, constitutiones 8 Sept. 1812 et 24 Sept. 1813 singularia præcepta continere, priorem de equis vagantibus, posteriorem de arietibus, quas leges ita esse intelligendas observandum est, ut obligationem plenæ resarcitionis præstandæ, nullo respectu pretii animalis habito, domino ejus, si damnum fecerit, injungant, quod tum verba earum ferunt, quæ ceterum præter summam redemtionis etiam impensas deprehensionis solvendas esse monstrant, tum optime cum eo convenit quod dominus talium animalium eo ipso quod ea in suo non detinuerit, factum illicitum admisit.

Circa damnum sepibus illatum mitiora sunt præscripta harum legum, quam quæ constitutione 9 Juli 1817 continentur, quippe quum dominus animalis lædentis non nisi in simplum teneatur; vide const. 8 Sept. 1812 §§ 2 et 4, atque const. 24 Sept. 1813 §§ 2 et 4.

§ 27.

Continuatio.

Leges patriæ aliud damnum ab animalibus factum non commemorant, quam quod hominibus, pecudibus,

agris et sepibus illatum est, quare oritur quæstio satis dubia, an et quatenus dominus animalis ad id damnum resarciendum, quod aliis objectis intulerit, obstrictus sit.

Quæstionem hanc tractavit celeb. Örsted, ex cujus sententia Codex Christianeus indicare videtur, quicunque animalia habeat, eum id damnum præstare debere, quod ab illis inferatur, quo respectu monet, tum codicem vulgo per præcepta specialia et quidem casuistica generalia sua principia effari; tum animalia sæpe tanquam objecta talium sanctionum afferri, quæ ex voluntate legislatoris latius pateant, cujus rei exemplum 5–8 allegat. His argumentis nisus censet eam regulam, quæ 6–10–5 et 6 circa damnum pecudibus a pecudibus illatum contineatur, ad eas læsiones forsan extendi posse, quæ ab animalibus rebus alterius inanimatis inferantur, quippe quum in illis articulis, si usquam exstet, inesse statuendum sit principium generale; præscripta enim specialia de damno agris et sepibus dato articulis ejus capitis, quod ex professo de læsione ab animalibus facta agat, posthabeantur necesse esse; quibus porro addit, tum illa præscripta specialia sæpe iniquitatem afferre posse, si resarcitio pretium animalis non excedere debere statueretur, tum 6–10–6 eum casum, de quo agatur, multo magis quam const. 28 Octob. 1794 §phum 31mam attingere*).

In hac quæstione dirimenda cum celeb. illo auctore facere non possumus.

Si rei naturam respicimus nil esse videtur, quo, ubi

---

*) Haandbog, 5 Bd. 1 St. p. 39—40.

damnificatio per animal exstitit, fundari possit obligatio domini resarcitionis præstandæ, si nec dolo nec culpa damnificationi causam dedit. Quodsi animal, cujus indoles non ea est, ut probabilem rationem exhibeat metuendi ne damnum inferat, tale intulerit, necesse est tanquam casuale spectetur, quod præstare domini non magis est, quam damnum quodvis aliud per vim naturæ factum, nec negandnm est, eam theoriam æquitati repugnare, quæ ita ad damnum a quocunque avertendum nitatur, ut hoc ipsum in eum transferat, in quo ratio existentiæ ejus non posita sit et qui specialem ejus occasionem dedisse recte perhiberi non possit. Quare statuimus, ex rei natura obligationem damni, cujus mentio hic fit, resarciendi non fundari posse eo solo facto, quod quis animal nocens habuerit, nisi hoc sit ejus generis, cujus indoles naturalis ferat, ut ad damnum inferendum sit proclive, vel saltem, quamvis ejus generis non sit, damnum prius jam inferendo causam præbuerit metuendi, ne data occasione denuo noceat.

Sunt igitur præcepta juris nostri, quatenus eos casus excedunt, in quibus obligationem damni resarcitionis adesse nnper docuimus, ita positiva, ut naturali fundamento omnino destituta sint, unde sequitur, ut extendi non debeant; quod quo minus fiat leges ipsæ prohibere videntur.

Si codex non nisi in 6-10 damnum ab animalibus datum attigisset, adessent forsan quæ eam sententiam commendarent, ex qua præcepta hujus capitis in damnum rebus, sub verbis ejus non comprehensis, illatum trans-

ferrentur, at aliis in locis præscripta continentur, quæ eam rei spectandæ rationem, quam amplexus est codex, testantur, nec ergo in hac materia otiosa erunt.

Talia intelligimus ea præcepta Cap. 13 Libr. 3, quæ de damno agris illato agunt, ex quibus, ut supra monuimus, domino animalium obligatio resarcitionis præstandæ non injungitur. Quamvis enim legislator in illis præceptis constituendis hoc respexisse censeatur, quod necesse sit, animalia in agris versentur, minime tamen statuere licebit, illud momentum liberationem ab omni præstatione afferre potuisse, nisi tale principium ante oculos habuerit, ex quo ordinarie domini animalis non sit, damnum ab hoc datum præstare, quo respectu etiam afferri possunt 6-14-12 cfr. 14, ex quibus non nisi in casu culpæ admissæ obligatio resarcitionis solvendæ exstat.

Quæ cum ita sint, ex nostra sententia ita argumentari licebit, ut dicamus, legislationem modo sanxisse ut damnum, quod animalia animalibus inferant, sit a domino illorum præstandum, præcepta autem ejus, quæ damnum ab animalibus rebus inanimatis datum spectent, contrario principio congruere; nec esse quod svadeat, hoc principio misso, interpretationem extensivam in priora illa præcepta applicare; quo respectu hoc porro monendum est, recentiores leges, quæ circa securitatem agris et sepibus ab invasione animalium comparandam novas sanctiones dederint, vim argumentationis nostræ non infringere, quippe quum hæc argumentatio non ex specialibus illis præceptis Codicis, quæ ita mutata sunt, sed ex generali eo principio, cui superstructæ sunt, desumta sit.

Quin vero si ea ratiocinatio, qua usi sumus, non comprobetur, eaque præcepta 3-13tii et 6-14ti, quæ allegavimus, ita peculiaria esse habeantur, ut hac in materia ejus momenti esse nequeant, cujus ea esse censemus, satis sufficiens ratio ex 6-10 generalem regulam deducendi non adesse nobis videtur. Singularis causa, qua Codex adduci potuerit ut iis, quæ in antiquis legibus præcipiebantur, congruenter obligationem damnum ab animalibus illatum præstandi ad eos casus restringeret, in quibus animal læsum sit, facile in eo continetur, quod hæc objecta talia fuerunt, ut respectus rei agrariæ, inprimis ejus communionis, quæ circa pascua locum habebat, specialem rationem præberet eatenus normas constituendi, quæ a rei natura divergerent, quales speciales causas non minus sanctioni 6-10-6 occasionem dare potuisse in propatulo est. Quodsi vero negare non licet, singularibus rationibus præcepta, quæ in 6-10-5 et 6 continentur, superstructa esse, deest conditio, sine qua interpretatio extensiva adhiberi non potest. Adjiciendum porro est, unum quendam Codicis articulum positivum argumentum pro nostra sententia exhibere, quatenus legislatorem nequidem in quocunque casu obligationem damni animalibus ab animalibus dati resarciendi imponere monstrat, nempe 5-13-2, ex quo dominus apum ab omni præstatione immunis est, si apes extra apiarium aliena animalia occiderint. Ratione ejus argumenti quod celeb. Örsted ex eo desumit, quod animalia sæpe ut objecta ejusmodi sanctionum afferuntur, quæ ex voluntate legislatoris latius patent, cujus rei exemplum 5-8

allegat, monere liceat, articulum 9num hujus ipsius capitis docere, respectum rei agrariæ in præceptis de animalibus ita interdum prævalere, ut non nisi vel maxime caute sanctiones, quæ illam attingant, ad alias relationes extendi debeant.

Quamquam ea, quæ ad illam sententiam infringendam attulerimus, ex qua damnum rebus inanimatis ab animalibus illatum resarciendum est, satis valida esse censemus, non silentio prætereunda est quæstio, quæ, si talis obligatio attamen adesse statuitur, haud minimam jucunditatem habet, eam intelligimus, quæ circa regulas, ex quibus ambitus ejusmodi obligationis emetiendus sit, versatur.

Constitutionem 29 Oct. 1794 § 31mam hac in re normam suppeditare non posse, sed ad codicem recurrendum esse, luculenter probavit celeb. Örsted,*) cujus ad argumentationem, quatenus eam attingit iniquitatem, quæ locum haberet, si resarcitio pretium animalis non excedere deberet, hoc solum monebimus, ex ea interpretatione, quam admittendam esse censemus verborum § 1mæ constitutionis 9 Jul. 1817 „den af Kreaturet forvoldte Skades fulde Erstatning" (vide supra § 26) talem iniquitatem locum non habituram esse. At quæritur, quonam modo regula circa quantitatem resarcitionis præstandæ, ubi animal damnum intulerit rebus inanimatis, ex 6-10 elicienda sit, cujus capitis non nisi duo articuli sunt, quorum analogia in hac materia adhiberi possit, 5tus scilicet et 6tus.

---

*) Haandbog l. c.

Prior articulus ad eam normam, quam investigamus, inveniendam plurimum afferre nobis videtur. Ea ratione, qua obligationem resarcitionis præstandæ domino animalis, quod aliud occidit, injungens eandem simul limitat, satis superque indicat, obligationem in ejusmodi casibus restringendam esse, in quibus alias fieret, ut damnum ab uno ita averteretur, ut iniquo modo in alterum redundaret; in eo enim necesse est insit principalis causa ejus præcepti, vi cujus, si pretium animalis occisi æstimationem ejus, quod occidit, aut exæquat ant superat, non nisi dimidia illius pretii pars solvenda est, quacum rei spectandæ ratione apprime convenit 6-10-6, ex quo is, cujus canis animal alienum trucidavit vel in loca profunda compulit, prima vice ad dimidium damnum resarciendum tenetur.

Principium, quod eatenus articuli allegati exhibent, justis rationibus legislatoriis satisfacere videtur, adest enim damnum casuale, quod pro rata sustinere debent tum dominus animalis nocentis, tum is qui damnum accepit, qnare non dubitamus quin, si censeatur legislator voluisse damnum, de quo agimus, præstandum esse, huic rem spectandi rationi congruenter (quam etiam in alia materia ordinanda vigere probat 5-3-38) generatim statuendum sit, ubi ab animalibus alicujus rebus alienis damnum illatum fuerit, dimidiam partem hujus præstandam esse. — Cum vero 6-10-5 in posteriori membro restrictionem eatenus adjiciat, quatenus, si animal occisum minoris pretii quam occidens fuerit, plenam ejus æstimationem solvendam esse præcipit, necesse est restric-

tio hæc non minus recipiatur, quam præceptum prioris membri, quoniam æque ac hoc ex ea ratione, qua legislator æquitatem spectaverit, existentiam ceperit. Primo quidem aspectu 6-10-6 argumentum, quod ne hæc restrictio admittatur dissvadeat, continere videtur, cum, ubi prima vice damnum intulit canis, modo dimidiam partem ejus damni præstandam esse absolute caveat; at omissio ejus respectus pretii, qui in 6-10-5 occurrit, causam satis naturalem in qualitate ejus animalis nocentis, quod in 6-10-6 commemoratur, habet.

Quod attinet ad specialem eam quæstionem, an, qui jus venandi habet, ad damnum feris vel occasione venationis legitime institutæ illatum resarciendum teneatur, ad ea nos referre licebit, quæ exposuit celeb. Örsted in Nyt juridisk Archiv 22 Bd. p. 140—141.

§ 28.

De quæstionibus quibusdam accessoriis.

Circa eas conditiones, sub quibus de resarciendo damno ab animalibus illato, excepto tamen eo quod agris et sepibus datum est, sermo esse potest, variæ quæstiones in medio poni queunt. Inter has ea occurrit, num illa præcepta applicari possint, nisi quando animal proprio motu nocuerit, ad quam quæstionem ita respondendum esse, ut dominus animalis ab omni præstatione immunis esse debeat, si aut is, cui nocitum sit, aut tertius quis per factum ipsi imputandum, aut casus aliquis externus animal, absque impetu ejus naturali, ad nocendum

adduxerit, jamjam ita probavit cel. Örsted in Haandbog over den danske og norske Lovkyndighed 5 Bd. 1 St. p. 41—44. cfr. Nyt jur. Archiv 22 Bd. p. 139, ut hanc rem tractare superfluum sit.

Si usus animalis alii, qui vice domini ejus non agit, sed jus utendi suo nomine exercet, concessus sit, censet cel. ille damno ab animali dato non dominum ejus, eum vero, cui usus traditus sit, teneri, ad quam sententiam vindicandam affert, 6-10-3 et 4 de eo loqui, qui animal in possessione habet (prior ait: „imens han haver saadant Fæ i sin Hævd" et posterior „den, som dem i Hævd haver"*). Contraria sententia magis nobis arridet. Sive enim ratio eorum præceptorum, quæ circa hanc materiam data sunt, in eo ponenda sit, quod quis animal aluerit, ex quo alter damnum ceperit, sive in idea realis cujusdam juris adversus animal constituti, obligatio resarcitionis præstandæ proxime ad dominum ejus pertinet, nec aliquid afferri potest, quod, ne æquitatis quidem obtentu, illam obligationem in eum, cui usus animalis concessus fuerit, transferre svadeat.

Verba porro, quibus usus est legislator, nostram sententiam probare videntur. 6-10-2 ejus solius mentionem facit, qui „Fæet eller Hunden eier," art. 3tius ejusdem capitis nominat: „Eiermanden" et quatenus circa læsionem iteratam occurrunt verba: „imens han (Eiermanden) haver saadant Fæ i sin Hævd" ex naturali eorum cum antecedentibus conjunctione ad dominum solum

*) Haandbog 5 Bd. 1 St. p. 44—45.

respiciunt, non vero ferunt, ut ille, si usus animalis alteri concessus fuerit, a præstatione præscripta immunis sit, quæ interpretatio eo etiam confirmatur, quod dominus animalis nocentis in speciali hoc casu reatum in se contraxisse æstimandus est, animal alii utendum tradendo, cujus indolem pravam ignorare non potuerit; art. denique 5tus et 6tus ejusdem capitis non nisi dominum animalis lædentis commemorant. Ex eo, quod articulus 4tus tum „Eiermanden," tum eum, „som dem i Hævd haver" nominat, nil adversus sententiam nostram deduci posse censemus, quippe quum respectu animalium ferorum, de quibus articulus loquitur, specialis ratio obtineat, ex qua talis obligatio in eum, qui non dominus, sed modo possessor eorum est, deferatur.

Hoc saltem certum habemus, non eum, cui usus animalis concessus fuerit, sed dominum, ex 6–10–3 teneri, ubi illi animal utendum tradiderit, quod prius jam nocuisset, tum enim ratio præcepti, quod in posteriori membro articuli illius continetur, in dominum cadit, atque vel maxime iniquum foret, eum majori illa mulcta afficere, qui animal, quod utendum accepit, ejus indolis esse nescierit.

Eadem rei spectandæ ratio quoad posterius membrum articuli 6ti ejusdem capitis applicanda erit.

Quatenus ceterum cel. Örsted in ea quæstione, quam disquisivimus, tractanda monet, non esse, cur statuatur, si quis v. c. equum vitiis immunem alteri locaverit vel commodaverit, damnum quod hic temerarie equitando vel vehendo vel illegitimo usu equi dederit, præstandum

esse a domino, cui non minori jure injungi possit obligatio ejus abusus præstandi, qui rerum inanimatarum, quas locaverit vel commodaverit, locum habuerit, respectu quarum dominum, nisi ipse deliquerit, omni obligatione exemptum esse 6-10-1 et 6-11-7 monstrant*); tum quidem hoc simpliciter ex eo sequitur, quod in tali casu de culpa præstanda sermo est, ab eo, cui usus animalis concessus erat, admissa.

Monendum denique est, leges patrias, quatenus jus resarcitionis exigendæ ei concedant, cui ab animali damnum datum sit, illud non ita tribuere ut tanquam jus reale in animali constitutum, quod adversus dominum ejus qua talem absolute exerceri possit, æstimandum sit.

Hæc ita se habere tum ex eo apparet, quod interdum præstanda est resarcitio, quæ pretium animalis nocentis excedat, interdum talis, quæ minor illo pretio sit; tum ex eo respectu æquitatis necessario sequitur, quem in hac materia ordinanda legislatorem habuisse constat.

Quæ cum ita sint, dubitari nequit, quin si quis animal, a quo damnum jam illatum sit, bona fide acquisiverit, non ille, at is, qui tempore damni dati dominus animalis erat, obligatione resarcitionis præstandæ teneatur; nec magis dubium est, eum, cui sit jus resarcitionem exigendi, in animali, quod nocuit, non potiorem esse alio quovis creditore, iis casibus exceptis, quorum circa pecudes in agro comprehensas supra mentionem fecimus**).

---

*) Haandbog 5 Bd. 1 St. p. 44—45.

**) Cfr. Haandbog 5 Bd. 1 St. p. 44—45.